Oikonomos, Georgios
De profusionum receptaculis sepulcralibus

BIBLIOTHECA SOCIETATIS ARCHAEOLOGICAE ATHENARVM
VOLVMEN XXI

DE PROFVSIONVM RECEPTACVLIS SEPVLCRALIBVS

INDE AB ANTIQVISSIMIS TEMPORIBVS VSQVE AD NOSTRAM FERE AETATEM VSITATIS

SCRIPSIT

GEORGIVS P. OECONOMVS

SICVT ARS VNA
ITA RELIGIO VNA

ATHENIS
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA P. D. SACELLARII
MCMXXI

BIBLIOTHECA SOCIETATIS ARCHAEOLOGICAE ATHENARVM

DE PROFVSIONVM RECEPTACVLIS SEPVLCRALIBVS

INDE AB ANTIQVISSIMIS TEMPORIBVS VSQVE AD NOSTRAM FERE AETATEM VSITATIS

SCRIPSIT

GEORGIVS P. OECONOMVS

SICVT ARS VNA
ITA RELIGIO VNA

ATHENIS
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA P. D. SACELLARII
MCMXXI

D. M.

MAGISTRORVM ACADEMICORVM


SPYRIDONIS BASAE ATHENIENSIS
FRIDERICI BVECHELER BONNENSIS
MAXIMI COLLIGNON PARISINI
CONSTANTINI CONTI ATHENIENSIS
ADOLPHI FVRTWAENGLER MONACENSIS
RENARDI KEKVLE DE STRADONITZ BEROLINENSIS
SPYRIDONIS LAMPRI ATHENIENSIS
GEORGII LOESCHCKE BONNENSIS
GEORGII MISTRIOTAE ATHENIENSIS
ANTONII OECONOMI ATHENIENSIS
IOHANNIS PANTAZIDAE ATHENIENSIS
CHRESTI PAPPADOPVLI ATHENIENSIS
DEMETRII PATSOPVLI ATHENIENSIS
ROBERTI POEHLMANN MONACENSIS
NICOLAI POLITAE ATHENIENSIS
SPYRIDONIS SACELLAROPVLI ATHENIENSIS
HERMANNI VSENER BONNENSIS
HERMANNI WINNEFELD BEROLINENSIS

HAS PROFVSIONES
PIO AC GRATO ANIMO
PROLIBAVIT
AVCTOR

DE PROFVSIONVM RECEPTACVLIS SEPVLCRALIBVS

1. – DE QVODAM SEPVLCRO THESSALONICENSI.

In effossionibus, quibus ipse Thessalonicae vere anni MCMXIV praefui, praeter alia quae ibi sunt reperta sepulcra, unum mihi eximii esse videtur momenti idque hic pluribus pertractare conabor non solum, ut eius ipsius significatus clarius eluceat, sed etiam, ut tota huius generis sepulcrorum copia inde a remotissimis usque ad nostra fere tempora, historico quodam ordine




1. Sepulcrum Thessalonicense extra.

indagata ac digesta, praesentem imaginem itineris in arte sepulcrali confecti praebeat eoque religio veterum per tot saecula immobilis sibique fidelis etiam in sepulcris construendis mortuisve colendis, multis exemplis adlatis, amplius, quam adhuc evenerit, demonstretur. Sicut ars una, ita religio est una.

Iam antequam totum aggerem, nostro sepulcro circumiectum, removeram, ductum testaceum ex loco sepulcri emergentem ani-

madverti, cuius pars superior inique erat defracta. Remoto aggere, ipsum sepulcrum, rudibus lapidibus ad parallelepipedi instar exstructum, apparuit eiusque inferior pars $0^{m}.20$ alta e reliquo corpore $0^{m}.10$ undique egrediens basim quandam totius operis efficiebat. Totum opus albario, $0^{m}.005$ crasso, obductum fuisse ex latere occidentali, ubi pars eius in situ superest, plane



2. Sepulcrum Thessalonicense intus.

apparet. Basis longa est $1^{m}.55$, reliquum sepulcri corpus $1^{m}.35$ longum, altum vero $0^{m}.30$. Ductus testacei diameter est $0^{m}.14$.

Soluto latere, in septentrionem verso, in operis corpore conditorium testaceum reperii, quod duae magnae tegulae efficiebant, ab aquae ductuum usu in sepulcra construenda conversae, paulum concavae, longae $0^{m}.51$, altae $0^{m}.38$, inter se supra accommodatae et utrobique aliis tegulis planis ita clausae, ut tuguriolum quoddam enascatur. In medio fere huius conditorii loco foramen

teres, plus minusve dextre malleo decussum, tubum illum fictilem suscipiebat. Tubi altitudo hodierna est metri centesimarum quinquaginta quinque (Im. 1).

Remota magnarum tegularum altera, ossa in conditorio congesta reperta sunt, quam ob rem sepulcrum ostothecam sive ossuarium recte appellabimus, idque tubo laudato cum mundo superiore communicasse ne adfirmare quidem necesse videtur. Ossuarium propter proxima sepulcra secundo post Chr. natum saeculo oriundum iudico (Im. 2).

Tubus hodie non primam altitudinem suam adservat, cum etiam terra illo in loco nunc veterem suam altitudinem non habeat. Aggerem hinc ad recentioris urbis partes cavas obruendas et ad aequatam agri urbani planitiem conficiendam non multis annis abhinc deportatum fuisse satis constat. Tum etiam tubum nostrum partem superiorem amisisse non est cur dubitemus. Altiorem autem eum fuisse eiusque os cum aliqua diligentia atque elegantia confectum et in sepulcri loco fuisse circumspectum et editum equidem verisimillimum duco.

Quin vero ductus iste noster eo pertinuerit, quo ritus, mortuis debitus, facilior fieret, dubium esse non potest, neque opus est mihi viros doctos et religionis veteris peritos χοὰς seu *profusiones* et reliqua in mortuis colendis iusta admonere, quibus opus Thessalonicense magis eluceat. (Cf. *P. Stengel Die Opferbräuche der Griechen 126* et omnino *Erwini Rhode Psyche).*

2. — PROFVSIONVM LOCVS ET INSTRVMENTA.

Non vero rem ipsam et notissimum illum morem religiosum, sed medium et instrumentum ad eam rem conficiendam in hoc libello potissimum interest nostra cognoscere idque conaturus sum enarrare, quomodo vivi profusiones usque ad mortuos deduxerint aut adhuc deducant, ita ut quam plurimis disiectis membris coniunctis, cultus vita per temporum longinquitatem luculentius appareat. Quod mihi eo magis necesse esse videtur, quo libri ad «realia religionis veteris spectantes, quasi uno animo, perpaulum in his mediis commorentur remque ita breviter perstringant, ut unicum fere exemplum ad hunc morem ac institutum illustrandum nobilissima illa ara Mycenaea adferatur, et praeter conamina

quaedam imperfecta, omnis effossionum messis rudis indigestaque remaneat.

Omnis terra mater et praecipue quae sepulcrum continet, quasi ara est et profusionum receptaculum, quippe quae fluidum illum cibum, mortuorum θελκτήρια et μειλικτήρια, in se absorbeat. Quapropter ab initio omnis libatio in terram effusa ad inferos pertinere, in sacrificii vero igne exhalata ad superos ferri est existimanda.

Sed pietas et fortasse profundior quidam et alacrior in mortuis colendis sensus, qui apud veteres illos non simplex quoddam parentium erga e vita discessos beneficium aut comitas benignitasve, sed contra officium erat et condicio sine qua non fundamentumque necessarium pacis ac progressus superviventium, quorum vices cum mortuorum vita contextae et favori illorum aut malevolentiae tamquam subiectae esse solebant, fecerunt, ut apud aliquos horum instrumentorum construendorum, de quibus iamiam nobis agetur, natum sit consilium, quo cultus religiosius, ut latine dicam et sentiam, et maiore cum diligentia et securitate perficiatur.

Haec tamen animae colendae ratio cum vim atque perpetuitatem religionis per tot saecula apud populum κατ᾽ ἐξοχὴν pium ac religiosum demonstrat, nulla ratione illud testimonium ex silentio nobis concedit, ubi ista manifesta instrumenta non reperiantur. Neque ibi religionem hebescere aut neglectam fuisse cultumque omnino vacasse contendemus, sed id solum inde colligemus, vim religionis sentiendae neque semper eandem esse neque iisdem semper modis uti. Praeterea, ut apud singulas gentes, ita apud singulos homines, religio intellectus est et animi culti aut inculti tamquam resonantia evenitque aut ab omni concretione mortali segregata aut in materia haerens secundum uniuscuiusque mentis statum atque indolem. Sed prodeamus ad rem nostram variaque genera receptaculorum sepulcralium singulatim adeamus.

3. — FOSSAE SIVE MVNDI SEPVLCRORVM.

Qui semper facilis atque omnibus in promptu erat modus fossae in terra sepulcri aut in iuxta eius vicinia effodiendae, qua libatio ad mortui corpus transmitteretur, idem etiam vetustis-

simus esse videtur. Postquam id *Tsuntas* primus Βαφειό, qui dicitur, in vico Laconiae sagaciter recognoverat (Ἀρχ. Ἐφημ. 1889, 143. Μυκῆναι 149), multa cum e Mycenaeis tum e prioribus vel recentioribus temporibus advenerunt exempla. Revoco quaedam:

1. **Amorgi** insulae, quod a se repertum laudat *Tsuntas* Ἀρχ. Ἐφημ. 1898, 167; cf. *Ceramopullus* Ἀρχ. Ἐφημ. 1910, 181, 1.

2. **Drachmani** Elatensis a *Soteriade* Ἀρχ. Ἐφημ. 1908, 93 notatum· cf AE 1910, 181.

3. **Menidiacum** *Das Kuppelgrab von Menidi 108 = Groppengiesser Die Gräber von Attika der vormykenischen und mykenischen Zeit* (1907) 31. 53.

4. **Praesi** Cretae insulae, in quo sepulcro cultus usque ad tempora geometrica permansit (*Annual of the British School VIII* 241 = *Groppengiesser* 60).

5. **Mulianorum**, vici item Cretensis, sepulcrum a *Xanthudide* repertum et divulgatum Ἀρχ. Ἐφημ. 1904, 23 εἰκ. 5$^{\alpha-\beta}$; cf. Ἀρχ. Ἐφημ. 1910, 181.

6. **Damani** Cretensis ab eodem *Xanthudide* Ἀρχ. Δελτίον 1916, 175 descriptum.

7. Fossarum exempla **Mazarakatis**, vico insulae Cephalleniae, a *Cabbadia*, cui tum ipse adsistebam, reperta, quae in lapide sunt prope speluncas sepulcrorum Mycenaeorum omniaque uno in loco excavata, de quibus vide *Cabbadiam* in *Comptes-rendus de l'Academie des Inscriptions et Belles-lettres* 1909, 282 et Προϊστορικὴ ἀρχαιολογία 371 cum fig. 449 paginae 360.

8. **Aeginae** et **Thebarum** sepulcra a *Ceramopullo* detecta et edita in Ἀρχ. Ἐφημ. 1910, 181. 248, ubi βόθροι occurrunt.

9. **Mileti** exemplum laudatum a *Wiegand Sechster vorläufiger Bericht über die Ausgrab. in Milet* 1908, 27· cf. Ἀρχ. Ἐφ. 1918, 56.

10. Fossas **Delphorum** prope sepulcra Mycenaea repertas, quas *Perdrizet Fouilles de Delphes V*, 6 recentiores esse existimat a sepulcrisque seiungendas (cf. *Cabbadiae* Πρ. Ἀρχ. 325), quod *Ceramopullus* A E 1910 181 adn. 1 recte refutat.

11. *Puteos Argivos* in **Aspide** repertos similis usus fuisse ibidem dicit *Ceramopullus*. Cf. *Vollgraff* BCH 1904, 365 1906, 5.

1907, 139. *Cabbadiae* II A 291. Non eidem debentur usui fossae Orchomeniae a *Bulle* in «*Orchomeno*» 31 descriptae, de quibus plura infra. Item aliena propositi nostri exempla Thessalica sunt, quae *Tsuntas* in *Arcibus Dimini et Sescli* 51, 54, 1. 405 edidit. Accedant nunc quae e recentioribus temporibus sunt nota exempla :

12. **Therae** insulae sex. *Pfuhl Athen. Mitt.* XXVIII. 1903, 250 - *Dragendorff Thera* II 236. 238. 240. Temporum geometricorum.

13 - 15. **Atticae** quae in sepulcris vicorum Vurva, Velanideza et Marathonis a *Valerio Staë* sunt notatae fossae = *Athen. Mitteil.* 1890 tab. 13$^{\Theta 1}$. 1893, 49 Δ - E, aetatis archaicae, quae dicitur. Cf. AE 1908, 181. *Pfuhl l. l. Dragendorff l. l.*

Simplicissimum id cultus instrumentum propter facilitatem longissime vixisse videtur, idque, cum per se ipsum est veri simillimum, tum ex quo apud Athenaeum Deipnos. IX p. 409 clarissimo excerpto exegetici Clidemi, ubi de χθόνια λουτρὰ agitur, confirmatur «ὄρυξε βόθυνον πρὸς ἑσπέραν τοῦ σήματος, ἔπειτα παρὰ τὸν βόθυνον πρὸς ἑσπέραν βλέπε, ὕδωρ κατάχεε λέγων· ὑμῖν ἀπόνιμμα οἷς χρὴ καὶ οἷς θέμις». Non enim solum balneis inferorum sed etiam omni generi inferiarum et profusionum istas foveas subpeditasse, adlatis testimoniis Scholiastae Euripidei aliorumque veterum scriptorum a *Reischio* nuper denuo collectis in *Pauly RE² VI 614*, nemo iam est qui dubitet. Chthonia balnea optime est persecutus *Woltersius* in Annalibus Germanicis (*Archaeol. Jahrbuch* 1899, 130 s.). Prolegomena Harrisoniana p. 59 caerimoniam ad expiandos modo vivos ἐναγεῖς pertinere ducunt et miro quodam pacto lucidissimam *Woltersii* interpretationem, quamquam multis annis ante publici iuris factam, omnino nesciunt.

Quod ad testimonia vetera de more fossarum spectat, primus ea collegit *W. Nitzsch Anmerkungen zu Odyssee* III, 160, accuratior vero deinde fuit *L. Stephani Comptes-rendus de la Commission archéol. Russe de St Petersburg* 1865, 6. cf. *Deneken Roscher's Lexicon* I 2497, 12. *Bulle Orchomenos* 31. Addo quod illos fugit testimonium Callistrati in Heroico 14 p. 742 ed. Kayser «προσελθόντων δὲ τῷ σήματι μετὰ τὸν ὕμνον ἀσπὶς μὲν ὥσπερ ἐν πολέμῳ ἐδουπεῖτο, δρόμοις δὲ ἐρρυθμισμένοις συνηλάλαζον ἀνακαλοῦντες τὸν Ἀχιλλέα, στεφανώσαντες δὲ τὴν κορυφὴν τοῦ κολωνοῦ καὶ βόθρους ἐπ᾽

αὐτῇ ὀρύξαντες τὸν ταῦρον τὸν μέλανα ὡς τεθνεῶτι ἔσφαττον» et ulterius alterum commemoratur sacrificium eodem Achilli ἐπὶ θαλάσσῃ factum «ἔθυον γὰρ τὴν θυσίαν ταύτην ὡς θεῷ». Laudat *Studniczka Jahreshefte* 1903, 124 adn. 7 et *Pfister Reliquienkult im Altertum II 468*.

Quod βόθρος et βόθυνος, idem etiam ἐσχάρα in cultu mortuorum valet. Docet enim *Stephanus Byzantius* s. v. βωμοί· βωμὸς ὁ τόπος τῶν θυσιῶν ὁ πρὸς τὴν ἐσχάραν διάφορος· ὁ μὲν γὰρ οἰκοδομητός, ἡ δὲ σκαπτή». Cf. *Rhode Psyche 31. P. Orsi Monumenti Lincei XXV. 1919, 401.* De etymologia vocabuli *F. Solmsen Untersuchungen zur griech. Laut-und Verslehre (1901) 217-8.* Cf. *Carolum Wigand Bonner Jahrbücher 122 (1912), 90.* Notatu dignum est in titulis Asiae minoris opus fabricatum, quod in heroum aedibus sarcophagos portabat eorumque ut crepidinem constituebat, βωμὸς appellari (*Wiegand Abh. Berlin. Akad. 1911 II, 25 - Stengel Kultusalt*[3]. *15*).

Apud Romanos βόθρος *fossa* dicitur; adi *Stephani* l. l. Sed quod βόθρον in religione Romana aequa cum gravitate exprimit est *mundus*. *Georgius Wissowa* in gravissimo suo libro, qui *Religion und Kultus der Römer*[2] inscribitur, p. 234 cum Servium citat in Aeneid. III 134 «*quidam **aras** superorum deorum esse volunt, medioxinorum id est marinorum **focos**. inferorum vero **mundos***», haec inducit «*Mundus d. h. eine für gewöhnlich geschlossene und nur am Tage des Festes geöffnete Grube, wie sie nach römischer Vorstellung eine geeignete Opferstätte für die **di inferi** abgab, da sie gewissermassen die Verbindung zwischen Oberwelt und Unterwelt herstellte*» nisus *Catone* apud *Festum* p. 157 «*mundo nomen impositum est ab eo mundo qui supra nos est. forma enim eius est, ut ex his, qui intravere, cognoscere potui, adsimilis illae; eius inferiorem partem, veluti consecratam dis manibus, clausam omni tempore... maiores censuerunt habendam*». Cf. *Hock Griech. Weihegebräuche* 77. *Bulle Orchomenos* 31 adn. 1 *Pfister* II 474. 466.

Sed haec ad escharas fabricatas potius spectant, de quibus mox dicturus sum. Fossarum autem Romanarum testimonia, sepulcris deprompta, mihi non praesto sunt. Hic sermonis nostri etiam de v. *χοαὶ* dicamus, ei latinum *profusiones* respondere

Nam σπονδὴ latine *libatio*, χοὴ vero, id est σπονδὴ νεκρική, accurate et proprie *profusio* dici solebat, neglegentius autem termino universali *libatio*. In titulis latinis sepulcralibus seu ad mortuorum res pertinentibus v. *profusio* et verbum *profundere* in hoc sensu occurrunt, semel autem, quod sciam, *prolibare*. Post *Marquardtum* in *Röm. Staatsverwaltung*[2] III 312 *Bernhardus Laum Stiftungen in der griechischen und römischen Antike* I 80 haec collegit testimonia epigraphica:

1. CIL X, n° 107. Titulus Crotoniensis: *profusionibus*.

2. CIL V, 1 n° 4410. Tit. sep. Brixiae: *ut ex usuris aeorum profusionem aci tan(?) parent*, ubi legendum esse puto: *ta⟦e⟧npa⟦e⟧rent* i. e. *temperent* = *faciant*.

3. CIL V, 1. 4448. Similis indidem: *ut ex usuris quodannis profusionem faciant*.

4. CIL V, 1. 4488. Indidem: *profusiones in perpetuum*.

5. CIL V, 1. 4489. Indidem: *ut profusiones in perpetuum fierent*.

6. CIL V, 2. 5134. Tit. Comi Bergomi: *profundi*.

7. CIL XII, 1657. Dea Augusta (Galliae): *ex eius reditu omnibus annis* ***prolibari*** *volo ne minus XV vini sextariis*. Nescit omnino *profusiones Bluemner* in novissimo suo libro: *Die römischen Privataltertümer*.

Etiam sine ulla fossa excavata mortuis profusiones fecisse veteres iam satis constat. *Kircher* in libello suo *Die sakrale Bedeutung des Weines* (1910) 12 [cf. *v. Fritze De libatione* 74] *Euripidem* in *Electra* 511 35· testem arcessit: ὅμως δ' οὖν τοῦτό γ' οὐκ ἠνεσχόμην, | ἦλθον γὰρ αὐτοῦ (sc. Agamemnonis) πρὸς τάφον, πάρεργ' ὁδοῦ, | καὶ προσπεσὼν ἔκλαυσ', ἐρημίας τυχών, σπονδάς τε, λύσας ἀσκόν, ὃν φέρω ξένοις, ἔσπεισα, τύμβῳ δ' ἀμφέθηκα μυρσίνας, πυρᾶς δὲ etc., cui hoc composuit carmen sepulcrale Latinum, quod apud *Buechelerum, Carmina Latina epigraphica I 838*, occurrit:

> *Hospes, ad hunc tumulum ne meias ossa precantur*
> *tecta hominis; set si gratus homo es, misce bibe da mi!*

De Vergili Aen. VI 227: *reliquias vino et bibulam lavere favillam* cf. *Norden* in Commentario suo p. 192 apud *Kircher* l. l.

4. — ARAE SEPVLCRALES FABRICATAE.

Praeter morem fossarum pietas et divitiae, eodem fere quo illae exstitere tempore, ad aras sepulcrales id est ad foveas fabricatas, solidiora quaedam et stabiliora cultus instrumenta, progrediuntur.

Vetustissimum omnes norunt **exemplum Mycenaeum**, quod, super quartum arcis Mycenarum sepulcrum positum, simplex quoddam est ad circuli fere instar fabricatum opus, sine ullo interno tubo usque ad mortuum descendente, in medio ab origine vacuum, quo tempore autem fuerit detectum, aggere refertum in lucem proditum.

Sepulcrum inter prima arcis esse numerandum cum propter indicia artis vasorum ibi repertorum (*Fimmen Zeit und Dauer der kretisch-mykenischen Kultur* 28) et situm inter reliqua sepulcra (*Tsuntas-Manatt Mycenaean Age* 110 - *Schuchhardt Schliemanns Ausgrab.* 181), tum propter hanc ipsam aram superpositam luce clarius esse videtur. Neque enim aram ad primas modo sepulturae libationes et cum immineret tumulus erectam esse opinamur. Praeterea, cum cetera arcis sepulcra simili quadam ara egeant, est locus coniecturae, istud quartum sepulcrum principem gentis in arce sepultae continuisse idemque satis longum per tempus sicut locum fuisse communem, quo maioribus defunctis sacra fierent. Neque est minimi faciendum aram intervallo quodam in altitudine ab ore sepulcri esse separatam (vide tabulam apud *Schliemann Mycènes* 293 tab. F. cf. *Perrot-Chipiez Histoire de l'art VI* 323. *Schuchhardt* ibid. 181 *cum imag.* 142); nam id stratum aggeris neque fortuitum neque sine ulla causa aut significatu est, sed manifesto ad tumulum sepulcri pertinet. Aggerem vero, qui super totum quartum sepulcrum cum ara est repertus, cum novo quodam latiore tumulo coniungemus eumque tumulum non antequam ultima sepultura in illo cinctu advenerat erectum esse, si recte video cum aliis, accipiemus. Posthac, si *Tsuntae* adsentimur, progenies Mycenaea in fovea quadam maioribus iusta facere solebat. Quaeritur modo, ubi illa fovea fuerit collocata.

Sed cum quarto sepulcro, propter aram superpositam, tantum

gravitatis adsignaverimus, etiam mundum illum in ara prolata fuisse effossum veri simillimum est. Itaque, ut more Euripideo loquar, γαίας ἐν νώτοις, scilicet naturali quadam ratione, sine ulla arte aut ingenio mortuis profundebatur. Ceterum totum illum locum illo tempore, etiam quo omnes novimus saepto lapideo circumiecto, eminentiorem et ad cultum magis adunatum factum esse, omnes fere accipiunt. *Lichtenberg* in suo libello *Die ägäische Kultur* (1911) 82 aram fabricatam post saeptum lapideum exstructum Mycenaeos erexisse contendit; haud probabiliter quidem. Similiter est iudicanda Ceramopulli recentissima opinio, in AE 1918 32 ss. divulgata. Equiden enim non ausim negare aram super quartum repertam esse sepulcrum itaque totam effossionum tollere fidem.

Quapropter vetus coniectura de fossa probabilior semper videtur. Ideoque etiam aliunde est factum ut, quia propter aliquam traditionem et facilitatem in reliquum quoque tempus foveae in sepulcris praeferebantur, nos hodie vestigia, quae ad profusiones spectent, non habeamus. Praeter nota testimonia, ut illud *Luciani Charon.* 22 p. 519 ‹*οἶνον καὶ μελίκρατον ἐκχέουσιν εἰς τὰ ὀρύγματα τὰ ἐπὶ τῶν τάφων*› insero huc quod apud Hesychium reperitur: *σπονδεῖον· ἀγγεῖον, ἐν ᾧ τοῖς εἰδώλοις οἶνον ἐπέσπενδον· λοιβεῖον, ἐν ᾧ ἔλαιον.*

Sed etiam post tempora Mycenaea aris sepulcralibus, Mycenaeae similibus, non raro occurrimus revocandaque mihi videntur exempla a *Skia* **Eleusine** reperta (AE 1898 49. 50 adn. 1. 89. Πρακτικὰ ΑΕτ. 1898, 84. *Poulsen Dipylongräber* 18 *Σκιᾶς* AE 1912, 20. *Καββαδία* ΠΑ 309).

Negat vero *Bulle Orchomenos* I 68 reliquias Eleusinias aras esse sepulcrales, idemque adfirmat eas nihil aliud quam sepulcra esse Orchomeniis similia. *Skias* AE 1912. 20 novam commemorat aram, lateribus sive caespitibus confectam et quattuor habentem cavitates, in quibus ille, ut ipse dicit, cinerem reperiit. Nihil obstat quominus aliqua Eleusinia Orchomeniis componantur, sed omnino negare aras sepulcrales apud Eleusinios in usu fuisse, praesertim cum Skias istam quadrupertitam nuper invenerit, arduum esset.

Hic etiam combinatio quaedam arae sepulcralis et foveae,

Therae reperta et ad tempora archaica pertinens, laudanda mihi videtur niso *Pfuhlii* testimonio in *Athen. Mitteil.* 1903, 250.

Accedant quae ex eadem **Thera** insula cognitae sunt arae sepulcrales ad heroa aliquem spectantes et in domo Theraea



3. Ara sepulcri Chii.

detectae. *Hiller Thera* III 166. IG XII 1368; cf. *Rhomaios Athen. Mitteil.* 1914, 206 adn. 2

Sed etiam posteris temporibus, tam Graecis quam Romanis, arae sepulcralis vita praeter facilem fossam florere pergit aptissimumque duco huc inserere quam mihi divulgandam *Curuniotes*

liberaliter commodavit imaginem arae cuiusdam sepulcralis fabricatae **Chio in insula** a se repertae (Im. 3). Sepulcretum prope vicum Καρυαί, qui vulgo vocatur, situm temporibus hydriarum Hadraicarum Curuniotae videtur floruisse. Ipsa ara ad omphali instar constructa sarcophagi lapidei operculo insidet. Sepulturae modo profusionibus eam subpeditasse equidem parum veri simile puto, quia eius operis stabilior fabricatio longiorem potius usum indicat neque est qnod nobis obstet, quominus eam aram per aliquot annos mortuo libationes deduxisse accipiamus, scilicet usque ad tempus, quo terra in altum sublata recentiora susceperit sepulcra, quorum unum etiam in nostra imagine ad sinistram apparet.

Cum vero artium et disciplinarum omniumque scientiarum illuxisset dies hominesque ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati essent, et tamquam novae vitae ver in omnium animis effloruisset, etiam minimas vitae humanae res universi illius luminis reflexum qualicumque modo accepisse non solum veri simile sed quasi necessarium esse videtur. Itaque ars commune intellectus atque sensus iter prope pedes sequens cum aliis tum etiam arae speciei novam quandam attulit conformationem, temporum gustui accommodatiorem. Nam temporibus iam Graecis vetustioribus res maiore quodam cum luxu in usum prodit hominesque in aris sepulcralibus ex uno lapide construendis artem et elegantiam non neglexere. Quae monumenta simul ac cultus instrumenta, iam antea profecto in usu, nobilissima *lex Demetrii*, quae, ut Cicero de legibus II 66 docet, de monumentis sepulcralibus erat lata, agnovit et sine ullo fere discrimine sanxit, *mensam* scilicet et *labellum*. Praetereo *columellam* sermoni nostro alienam. Haec duo genera monumentorum, unius et eiusdem necessitatis solidis sive fluidis inferiis cum mortuis communicandi, sicut emanationes, utrumque ex fovea illa primordiali est abscisum, quae nihilosecius vitam suam procreat atque feliciter defendit.

Labelli usum iam antiquitus fuisse notum priusquam illud lex Demetrii anno 317 a. Chr. n. sanxerat, *Woltersius* l. l. repertis Menidiacis nisus cum doctrina et acumine demonstravit

idemque omnem usus rationem, inde a temporibus Mycenaeis usque ad Demetrii aetatem, diligentissime exposuit.

Sed *mensae* quoque exempla vetusta nobis praesto sunt, quae Therae reperta, *Dragendorff Thera* II publici iuris fecit sciteque pertractavit et aptissime in verum lumen posuit.

Quae supersunt labella marmorea nec foramine quodam, quoad sciam, neque sulco sunt praedita ad profusiones mortuo deducendas. Ergo ex illis nullum adferre testimonium possumus cui ex sepulcro Thessalonicensi novimus religiosae scrupulositati. Satis erat illis credere animam ex labelli pelvi bibere posse, idque ara Cretensis, de qua infra sum dicturus, satis superque indicat. Qui non creduli fuerint, scripserunt sane epigrammata sicut illud nobilissimum apud *Kaibelium: Epigrammata Graeca* 646 et in *Anthologia Palat.* 11, 8 (*Jacobs* vol. II p. 321).

> *Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου*
> *μηδὲ τὸ πῦρ φλέξῃς. Ἐς κενὸν ἡ δαπάνη.*
> *Ζῶντί μοι, εἴ τι θέλεις, χάρισαι, τέφρην δὲ μεθύσκων*
> *πηλὸν ποιήσεις κοὐχ ὁ θανὼν πίεται.*

Sed praeter mensam et labellum temporibus Graecis recentioribus ad fabricata illa exempla, quae fortasse etiam tum modestam quandam vitam degebant, conformatur et Romanae aetati traditur, ut longissime vivat et latissima fruatur diffusione, notissima illa copulatio arae cum monumento, quae est in gravi forma monumenti prismatici quadrilateralis sive rotundi, cum inscriptioni funerariae, tum profusionibus idonei, sicut e parvis lacunis, in latere superiore ad χοὰς recipiendas exsculptis, luculenter apparet. Exemplis, quae *Reischius* l.l. profert, etiam illud Lesbiacum, quod apud *Conze Reise auf der Insel Lesbos* 11 tab. IV, 5 = *Harrison* in *Prolegomenis* 330 fig. 98 exstat, addendum est et quae apud *Durm Baukunst der Etrusker und Römer* 747 et *Cagnat-Chapot Manuel d'archéologie Romaine I (1916) 339 fig. 178* memorantur. Ceterum quod ad aras sepulcrales Romanas spectat earumque quaestiones ad veterem sculpturam pertinentes, nostro proposito sane alienas, *Gualterus Altmann* in suo tractatu, qui *Die römischen Grabaltäre* inscribitur, optime disputavit.

Hic sunt memorandae etiam arae, quae in latere superiore pro cavitate vas, scypho vel paterae simile, eodem ex lapide exsculptum, habent. Inter eas una, **Cretensis**, a *Sam Wide* in *Archiv für Religionswissenschaft* 1909, 221 edita, eximii est momenti, quippe quae, praeter alia, ut iam editor Suecus recte agnovit, in duobus lateribus contrapositis singulos serpentes exhibeat, quorum uterque usque ad labra paterae erepit. Ex quo facile possumus enucleare, quem ad modum simplex credulusque ille propinquus amicusve profusionem ad mortuum advenire sibi persuaderet, aut potius, quam sollertiam excogitaverit ad profusionis finem designandam, quae etiamsi naturae legibus ad superos exhalanda erat, tamen religionis institutis inferis debebatur iisque, fidei vi, adferri credebatur. Ad cuius instituti Graeci vim ac tenorem per longinquitatem temporum demonstrandam, memorabilissimus hic mihi videtur, qui ex eadem insula **Creta notus est** mos hydriae, aquae plenae, super sepulcrum, post sepulturam peractam, ponendae, ut per quadraginta dies anima defuncti errans, in quo discesserit loco, sitim suam cotidie sub vesperum placet. Cf. *Bybilakis Neugriechisches Leben* (1840) 67. Πανδώρα vol. XVII 331. *Πολίτης* in Παρθενῶνι Β΄ 1872 p. 1137. De aqua in hoc usu vide quae infra sunt notata.

Cum de ararum lacunulis ago, non me fugit eas iam in ara baetylica antri Dictaei ab *Athuro Evans* in *Journal of Hellenic Studies* 1901. 114 fig. 7 edita et in altera, item Cretensi, a *Hogarthio* in BSA VI 1899 tab. 11 divulgata – de qua conferatur etiam *Georgius Karo Archiv RW* VII 1904, 121 — occurrere. Neque ab his exemplis, de qua paulo ante egi, aram illam Eleusiniam in quattuor partes divisam seiungere possum, quippe quae idem principium sequatur ex eademque necessitate orta esse videatur. Hoc modo teneamus, non utrobique de aris sepulcralibus agi.

Sepulcrum quoddam **Termessense**, recentioris sane aetatis (II s.), sed eidem usui indulgens, cum iuxta id excavationes quaedam ad profusiones recipiendas, vasorum instar, in saxo exsculptae exstent, huc sermonis nostri quin pertineat, haud dubium est. (*Lanckoronski: Städte Pamphyliens und Pisidiens* 67. *Wolters Jahrb.* 1899, 130).

Ὀμφαλός. Ararum sepulcralium ex numero est et inter classica huius generis habendum, quod nunc adeo nobilissimum monumentum. Dico Delphorum umbilicum sive ὀμφαλόν, cuius gravissima vis in quaestionibus ad res divinas, non solum Delphicas sed omnino Graecas, spectantibus neminem fugit, qui vel summis digitis hoc religionis veteris tetigerit caput.

Quid prisci illi de omphalo crederent haec docent testimonia:

Hesychius s. v. Τοξίου βουνός· ἐκεῖ γὰρ i. e. ἐν Δελφοῖς ὁ Δράκων κατετοξεύθη καὶ ὁ ὀμφαλὸς τῆς γῆς τάφος ἐστὶ τοῦ Πύθωνος.

Tatian. adv. Graecos 8, 251 ὁ δὲ ὀμφαλὸς τάφος ἐστὶ τοῦ Διονύσου

Varro de lingua Latina VII, 17. Et terrae medium non hoc, sed quod vocant Delphis÷ in aede ad latus est quiddam ut ***thesauri*** *specie, quod Graeci vocant* ὀμφαλόν, *quem Pythonos aiunt esse tumulum; ab eo nostri interpretes* ὀμφαλὸν *umbilicum dixerunt.*

Ex recentioribus viris, qui omphalo interpretando operam dederunt et de huius monumenti vi ac tenore illustrando optime meriti sunt, hi maxime mihi nominandi esse videntur:

E. Rohde Psyche[3] 132. P. Stengel Kultusaltertümer[3] 16. 65. Pauly RE I 1665 (E. Reisch). Frazer Pausanias V 314. G. Karo in *Darenberg DA IV, 1 p. 198. O. Gruppe GM I 103. 241. II 723. 725. 1402. Farnell Cults of the Greek States IV, 303. J. Harrison* in *Journal of Hell. Stud. 1899, 225* et *Themis 396. Fr. Studniczka* in *Hermes 1902, 259. Ern. Maass* in *Jahreshefte 1908, 10. A. Mancini-A. Milani Studi e materiali etc. I. 64. III, 3. Dragumes Journal intern. num. 1902, 387. Svoronos ibid. 1911, 301. E. Küster Die Schlange in der griech. Kunst und Religion (1913) 70. 74. 124. W. Roscher Omphalos (Abhandl. sächs. Akad. Wiss. Bd. XXIX) 1913. Neue Omphalosstudien (Abh. s. Ak. Wiss. Bd. XXXI) 1915. Der Omphalosgedanke bei verschiedenen Völkern besonders den semitischen. (Ibid. LXX) 1918.*

Johanna Harrison, quae, more suo sagaciter de umbilici natura disputavit, dicit ὀμφαλόν, Pythonis tumuli, ad alvearis formam constructi, imitationem esse minusculam, quae postea arae

et denique lapidis divinatorii significatum acceperit. At equidem in umbilici forma nil aliud dispicio quam ipsam aram sepulcralem, cavitatem in medio ad profusiones recipiendas exhibentem, quae est ara κατ᾽ ἐξοχὴν genii inferni et receptaculum anonymi et universalis, ut ita dicam, herois, hominis in Terrae Matris gremio reducis, ipsius denique Terrae, ἇς γενόμην καὶ ὑφ᾽ ᾇ κείσομ᾽ ἀποφθίμενος (*Anthol. Pal. XI, 43*). Nam forma, quam e monumentorum copia, certo ac sine ullo dubio, cum omphalo coniungere possumus, ad aram potius quam ad ipsum tumulum nos ducit. Aliae imagines non omphali, sed variorum tumulorum sunt, itaque arduum esset ex tumulis de ara sive omphalo iudicare. Ut uno acquiescam exemplo, vas Neapolitanum, cum ab aliis, tum ab *Harrison* citatum, non umbilici cum stela praebet imaginem, sed plane tumuli, cui superpositum est phalli simulacrum, quale est nobis aliunde multifariam notum.

Umbilicum autem a principio aram fuisse sepulcralem, ad ararum Mycenarum et Chii exemplum conformatam, cavitas demonstrat non raro in superiore eius parte exstans, quae ab alia illa cavitate aut foramine, ex aris sepulcralibus notissimo, parum differt. Neque aliter concipere possum umbilicum in Terrae Matris cultu occurrere eiusque uterum, symbolica quadam ratione, indicare, ut iam *Hermannus Diels* in *Miscellaneis Salinas (Palermo 1907) 13ss.* recte contendit, nisi eum foramine quodam praeditum imaginor. Ceterum in hoc cultu umbilicus-uterus phalli oppositum a Dielsio habetur. Cf. *Maass* et *Küster ll. ll.*

Sed etiam scriptoris cuiusdam testimonio haec de primo omphali significatu opinio firmari mihi videtur, si Varronis locum, supra citatum, recte intellegimus, qui Delphorum umbilicum «*quiddam ut thesauri specie*» esse dicit. Veteres enim voce *thesaurus* non solum notissimas nobis aediculas, sed etiam pyxides significant, quae supra foramen habebant, ad nummos recipiendos et etiam nunc apud nos κουμπαρᾶδες, apud Francogallos *tire-lire* et apud Germanos *Sparbüchsen* appellantur. *Georgius Karo DA 198,* cui *Guilelmus Roscher* adsentitur (*Omphalos 66 - Neue Omphalostud. 46* cum adn. *77*), idem coniecit. *Paulus Corssen* frustra oblocutus est in *Neue Jahrbücher 1913, 233.*

Eiusdem sunt familiae neque cum aediculis comparandi θησαυροί, ex variis locis sacris noti, in quos nummi, dis devoti, ut sacrificium iniiciebantur. Cf. *Tsuntas Mélanges Nicole 531s. Herzog Arch. Anzeig. 1903, 1901. Archiv RW 1907, 208. 211.*

Sed, ut homines pii hoc munere defungi possent, apertos fuisse aut apta foramina habuisse illos thesauros, ne adfirmare quidem necesse videtur. Cf. *Graeven Jahrb. 1901, 160. Hiller von Gärtringen Thera III, 86.*

5. ARAE CAVAE ESCHARAM INCLVDENTES.

Hoc sepulcrorum genus apud heroas quosdam κατ' ἐξοχὴν occurrit valdeque dubito an veteres etiam communium et humiliorum heroum sepulcra ita conformare non soliti sint. Si qua sunt (Lycia), forsitan aliter sint interpretanda.

Apud Pausaniam in Laconicis III, 19, 3 hoc, ut constat, de Hyacinthi sepulcro traditur: Τοῦ δὲ ἀγάλματος τὸ βάθρον παρέχεται μὲν βωμοῦ σχῆμα — τεθάφθαι δὲ τὸν Ὑάκινθον λέγουσιν ἐν αὐτῷ — καὶ Ὑακινθίοις πρὸ τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος θυσίας εἰς τοῦτον Ὑακίνθῳ τὸν βωμὸν διὰ θύρας χαλκῆς ἐναγίζουσιν· ἐν ἀριστερᾷ δέ ἐστιν ἡ θύρα τοῦ βωμοῦ.

Franciscus Studniczka, cui dissertationem de istis aris cavis aut, ut ille eas vocat «*Altäre mit Grubenkammern*», in annalibus Austriacis insertam debemus (*Jahreshefte* 1903 VI 123s. 1904 VII 239. *Reischius* nescit tractatum), ad sepulcri Hyacinthii exemplum etiam nobile illud marmor Thasium cum imaginibus Nympharum et Gratiarum, in Louvro Parisiaco exstans (*Rayet Monuments* 20s. *Brunn-Bruckmann Denkmäler* 61. *Arch. Zeitung* 1867, 217 (*Michaelis*)), reconstruendum suscepit Romulique sepulcrum Romanum similem exhibuisse speciem, post accuratam indagationem, iure, ut mihi videtur, contendit. Quae vero notissima monumenta Lycia, thalamo et porta praedita, adfert, cum ad communium «heroum» usum, et frequentem quidem, ubi de familiarum sepulcris agatur, pertineant, non solum ad profusionum iusta facienda, sed etiam ad novos mortuos inferendos portam habere videntur. Novissimam throni Amyclaei restitutionem delineatam vide apud *Fiechter* in *Jahrbuch XXXIII 1918 tab. 19. 20.*

Praeterea memorabile est vas quoddam Musei Brittanici

(*Walters BM Catal. of vases* IV tab. 8 *Studniczka Jahreshefte* 1904, 240 fig. 102) sub columna ionica sepulcrali, locum quadratum nigrum exhibens, qui a *Studniczka* ut porta arae sepulcri habetur, a *Loeschckio* vero, minus probabiliter, columnae basi attribuitur. *Pagenstecher* p. 66 cum n. 136 p. 135. Ceterum de heroum monumentis amplioribus cf. *Benndorf: Reisen in Lykien u. Karien* I 110 — *Das Heroon von Gjölbaschi-Trysa* S. 42s. — *Dragendorff Thera* II 236s. 238. 240.

Ad haec, quae modo perlustravi ararum exempla, alia quoque exque iisdem temporibus profecta posuissem, quae plane ac secure cum sepulcro Thessalonicensi coniunguntur, nisi ea, eius ipsius, quod exhibent, indicii causa, infra in alia consequentia disserenda putassem.

Nunc, antequam illud caput adeo, in praecursoribus eius instrumenti paulisper commorer paucaque de vasis funebribus perforatis praemittam necesse.

6. — VASA FVNEBRIA PERFORATA.

Primum, ut constat, **in sepulcreto Dipyli** Atheniensis animadversum et notatum est, inter vasa, quae illic eruta erant, non nulla, eaque non parva, sed reliquis magnitudine longe excellentia, suo fundo carere aut, rectius, suum fundum totum habere de industria sublatum, quod primi illi rerum antiquarum studiosi ita interpretati sunt, ut ea vasa ad usum vivorum prohibendum fundo erepta esse videantur. (*Poulsen Dipylonvasen* 18s.).

Magnas amphoras geometricas monumenta fuisse sepulcralia primus *Arthurus Milchhoefer* sagaciter coniecit (*Athen. Mitteil.* V. 177) resque postea, effossionibus anno 1891, *Alfredo Brueckner* et *Erico Pernice* moderantibus, peractis, pulcherrime est confirmata, cum in loco, a Dipylo haud remoto, similes amphorae, super sepulcra positae, fuerint repertae, quas inventores *signorum* locum tenere agnoverunt, non modo sepulcrorum discernendorum et ornandorum causa, sed ad profusiones quoque recipiendas (*Athen. Mitteil. XVIII 1893. 93. 151. 155. 415* — *Poulsen Dipyl.* 18s. — *Stengel Opferbräuche 126*).

Harum amphorarum una sita erat in fossa 1.70×1.55, metra

metiente et in altitudine 0.95 metrorum ab ipso sepulcro, id est in sacrificii, sepulturam secuti, loco, ubi certo etiam postea varias profusiones recipiebat, fossae naturalis aut arae aedificatae in locum se sufficiens. Cf. quam, praeter alios, *Cabbadias* in Archaeologia sua praehistorica p. 583 praebet imaginem sepulcri Dipyli, *Athen. Mitt. 1893, 92* depromptam, eandemque novissime repetitam apud *Chr. Blinkenberg Hades's Munding (Danske Vidensk. Selsk. Hist.-fil. Medd. II, 5 (1919)) 6. Fig. 1.*

Praeter magnas amphoras, etiam alia quaedam vasa minora, sed haec in ipsis sepulcris Dipyli reperta et pedes perforatos exhibentia, hic memoranda mihi videntur. In *Athen. Mitt.* 1893, 115 effossores Germani duo pocula cum altis pedibus perforatis in VIII° sepulcro reperiere iidemque p. 116 dicunt inter reliqua sex vascula sepulcri duos crateras, insolitae formae, pedem habere pertusum, tertiumque addunt poculum 6,5 cm. cum fundo perforato. Omnia ista foramina non est cui ullum dubium relinquant, ea vasa cum mortuorum cultu esse connexa. Quaeritur modo, qua ratione. Fortasse profusionibus solum sepulturae servierunt aut potius ita perforata mortuo dederunt parentes, mori cuidam indulgentes, ne quis alius vivus iis uteretur aut ut mortuus apud inferos ad usum quendam »domesticum« iis uteretur.

Postea etiam **Eleusine** rem notavit *A. Skias,* qui cum de suis effossionibus, annis 1895 et 1898 factis, in Diario archaeologico Graeco AE 1898, 88 atque de aliis recentioribus indagationibus, ibidem iterum a se susceptis, in eadem AE 1912, 36 accuratissimam rationem reddit, praeter pedes vasorum sepulcralium, antea repertos, etiam alia quaedam vasa, parva et communia, illic antea erutis similia, commemorat, quae prope fundum suum foramina exhibent clavo perforata.

Demetrius Philius, qui iam pridem illic aliquot sepulcra, eiusdem aetatis geometricae, perscrutaverat, similes pedes vasorum, foraminibus praeditos, non dispexerat, quo fuerint usu. (AE 1889, 171. *Perrot-Chipiez Histoire de l'art* VII 55 cum adn. 2. *Poulsen* l. l.).

Quod tamen *Poulsen* sibi fingit, ab ara sepulcrali ad vas sepulcrale transitum Eleusine effectum esse, recordanti mihi

effossionum **Aphidnae** testimonium, ubi super aliquot sepulcra praemycenaea singulae magnae paterae, profusionum sane receptacula, revelatae sunt, non magni faciendum videtur. (*Sam Wide Ath. Mitt.* 1896, 391. 395 sep. VI, VII et IX. *Jahrbuch* 1899 189 cum adn. 3 *Archiv RW* 1909. 222. Notandum est in his quinque sepulcris, mortuos magnis doliis iacentibus contineri).

Praeterea Minoicis quoque temporibus profusionum receptacula sepulcris fuisse imposita, nobilissima docet pictura sarcophagi lapidei **Hagiae Triados Cretensis**, in his ultimis temporibus, propter gravitatem suam, iterum atque iterum a multisque perscrutata archaeologis. Eius in altero longo latere inter duos palos, supra bipennibus axibus ornatos, vas est collocatum ad sanguinem profusionis recipiendum, quem mulier aliqua, a dextra huc aggrediens, mortuo vel deo cuidam infero prolibatura est. Vas perforatum fuisse iure coniecit *Duhn Archiv RW XII 1909, 174.* Sarcophagi imaginem vid. etiam apud *R. Dussaud Civilisations préhelleniques*[2] tab. *D* p. 400, tenoris interpretationem cum litteratura p. 402 sq.

Sed etiam in **Asia Minore**, in tumulo quodam Phrygio vetustiore, apud vicum Turcicum *Bosöjük* sito, *Lamunia* qui est oppidum antiquum, *Alfredus Koerte* vas quoddam detexit, in suo fundo foramen teres, diametri 1, 5 cm, exhibens et eo ipso facto usui cotidiano non idoneum. *A. Koerte,* qui in *Athen. Mitteilungen XXIV* 1899, 1 ss. de repertis Lamuniacis diserte disputavit, negat vas perforatum sepulcrale fuisse, nixus *Goetzii* testimonio, qui se Trojae a. 1894 simile vas perforatum repperiisse dicit, non ex aliquo sepulcro erutum, sed plane inter reliquias urbis inventum. At id non sat mihi est ad naturam vasis negandam. Quamquam conjicere adlicior talia vasa, si quae necessario ac sine ullo dubio usui domestico adsignari debent, plantarum ac florum fuisse receptacula, quibus homines non solum olim, sed etiam adhuc, domus suas adornare solent.

Alia exempla nota sunt e *sepulcris praehistoricis* **Germaniae septentrionalis**, quae *Vossius* in Actis societatis anthropologicae Berolinensis plus quam semel pertractavit. Cf. *Verhandlungen der Berliner anthropolog. Gesellschaft* 1875, 134. 1878, 218. 1895, 478.

Datum est igitur neque ullo dubio subiici potest, vasa aris sepulcralibus praecessisse. Ea quoque, praecipueque pateras, labellorum fuisse praecursores equidem veri simillimum duco.

Sed qualicumque modo id acciderit, hoc nobis, et non minimum quidem, maneat argumentum, Eleusine non modo magna, sed etiam parva vasa in hoc usu fuisse, quae aptissime *σπονδεῖα* appellari possunt, si huic voci non solum vasis, e x q u o profusio mortuo libatur, sed etiam vasis, i n q u o d ea profunditur, significatum adsignamus. Quae non inter se pugnantia videntur neque ita contraria, ut, quo Hesychius dicit, alterum necessario tollatur. Cf. tamen *Heronem Pneumat. A, XXI:* Εἰς ἔνια *σπονδεῖα* πενταδράχμου νομίσματος ἐμβληθέντος ὕδωρ ἀπορρέει εἰς τὸ περιρραίνεσθαι.

Eundem morem vasorum perforandorum temporibus geometricis etiam alibi viguisse, indagationes sepulcrorum **Tirynthiacorum**, a Germanis peractae, plane docuere. Ibi enim duae amphorae, in sepulcris 22° et 28° detectae, fundum diligenter absectum exhibent *(Tiryns* vol. I p. 334).


Accedit **Mycenis** geometricis vas, oleae instar, ab effossore Graeco *Evangelide* super aliquod sepulcrum repertum, quod, quamvis quocumque careat foramine, tamen manifesto iustis sepulcralibus usui fuit. Editoris opinionem de enchytristriis, proposito nostro alienam, praetereundam puto, cum aliis de causis tum ne oratio nostra nimis turgescat. Cf. Ἀρχ. Ἐφ. 1912, 129.

Quamquam sine foraminibus, tamen sepulcralibus sunt adnumerandae et pro signis habendae etiam amphorae *Boeoticae* Ἀρχ. Ἐφ. 1892 tab. 8-10 et aliae *Cypriacae* apud *Perrot-Chipiez HA* III 711 n. 523.

Qualemcumque vim sepulcralem inesse omnibus vasis perforatis negat *Curuniotes* Ἀρχ. Ἐφ. 1906, 14-15.

Sed etiam posteris temporibus, vel valde sera aetate quidem, morem non in desuetudinem cadere sed, ut mos est religionis, cum primo illo vigore perpetuare fidem, denuo vasa nos docent, eoque mihi pictura vasis cuiusdam Italiae inferioris sive Magnae Graeciae a *Pagenstechero*, in suo libello *Unteritalische Grabdenkmäler* 27 (cf. *Röm. Mitteil. 1912, 103)* nuper divulgata, maximi facienda videtur, quia in ea tumulus eiusque

in summo amphora, partim inhumata, tamquam pro signo appa-



4. Vas Italiae inferioris.

ret (Im 4). At non modo monumentum, verum etiam profusionum receptaculum illud vas esse, quis tam Pyrrhonis similis, qui a nobis dissentiat?

Ceterum hanc tumulorum cum vasis superpositis imaginem etiam *Bianor* ille, poeta epigrammaticus Graecus, sub oculis habuisse videtur, cum hoc in *Anthologia Palat.* (vol. III p. 218) IX, 272 insertum epigramma componebat:


Εἰς Ἀπόλλωνος ἱερὸν ὄρνεον ἐν τύμβῳ γεγλυμμένον ἄγγος θεασάμενον καὶ ζητοῦν ἐν αὐτῷ ὕδωρ.

Καρφαλέος δίψει Φοίβου λάτρις, εὖτε γυναικὸς
εἶδεν ὑπὲρ τύμβου *κρωσσίον ὀμβροδόκον*,
κλάγξεν ὑπὲρ χείλους, ἀλλ᾽ οὐ γένυς ἥπτετο βυσσοῦ,
Φοῖβε, σὺ δ᾽ εἰς τέχνην ὄρνιν ἐκαιρομάνεις,
χερμάδα δὲ ψάμμων σφαιρῶν, ποτὸν ἅρπαγι χείλει
ἔφθανε μαιμάσσων λαοτίνακτον ὕδωρ.

Ex *γυναικὸς* ὑπὲρ τύμβου cave colligas super mulierum modo tumulos posita fuisse vasa sepulcralia. Quod autem Bianor vas illud sepulcrale κρωσσίον *ὀμβροδόκον* dicit, quamvis eo vas a profusionibus, mortuo debitis, seiungatur, tamen usus eius feralis non omnino tollitur. Cui enim alio aquae imbricae profusio valet quam mortuo? Cf. infra usum lutrophororum.

Accedat his etiam *Plinius*, qui *Nat. Hist. X § 125* a Bianoris argumento minime discrepat. Dicit enim ille: ***tradendum putavere** memoriae quidam visum per sitim lapides congerentem **in situlam monimenti**, in qua pluria aqua durabat, **sed** quae attingi non posset, ita descendere parentem expressisse **tali congerie quantum poturo sufficeret.***

Huc sermonis nostri etiam amphora pertinet, quam *Ludolfus Stephani* in Actis archaeologicis Petropolitanis *(Comptes-rendus de la Commission impériale archéologique de St Petersbourg)* anni 1866 in tab. II pag. 67 in delineata imagine publici iuris fecit, et in p. 38 sub nº 35 his verbis descripsit «*Kaiserliche Ermitage* Nº 1598. *In Nola gefundene und mit der Pizzatischen Sammlung erworbene Amphora 6 1/4 Verschok — 0,28 m. hoch. Auf der vorderseite ist das als Vignette zu Taf. II in natürlicher Grösse mitgeteilte Gemälde dargestellt. Zur Rechten sitzt*




5. *Pictura vasis Petropolitani.*

nach links gewendet auf einer ionischen Säule ein mit einem Frauenkopf, der ein Kopftuch trägt, versehener Vogel [Sirenem esse patet]. *Zur Linken sitzt ebenfalls auf einer ionischen Säule, jedoch nach rechts gewendet, eine Eule.* ***In der Mitte ragt ein mit einem Henkel versehener Krug nur zur Hälfte aus dem Erdboden empor.*** *Auf der Rückseite steht ein Mann und eine Frau, beide in Obergewänder gehüllt, in ruhiger Haltung einander zugewendet*». Cf. eiusdem *L. Stephani Die Vasensammlung der Kaiserl. Ermitage* (1869) vol. II p. 22, ubi, praeter alia, iam antea in Actis notata, additur, «*nachläss-*

iger Stil des 3 oder 4 (die: des 4 oder 5) *Jahrhunderts v. Chr.*).

Vas dimidio inhumatum positumque inter duas columnas, quarum una Sirenis, altera noctuae effigiem praebet, sepulcri alicuius *mundum* efficere videtur idque non solum ex quibus iam antea enumeravi exemplis unicuique patet, sed etiam, quasi ut alicui increduliori omnis dubitandi causa tollatur, Sirenis et noctuae, notissimarum avium funebrium, praesentia optime confirmatur (Im. 5). Ceterum imago Petropolitana non est cui, mutatis mutandis, sarcophagum Cretensem in memoriam non revocet. De Sirenis notissimo significatu ferali cf. *Roscher ML*



6. *Vasa perforata in Ceramico Athenarum reperta.*


IV 601 ss. (*Weicker*) - *Weicker Der Seelenvogel*. De noctuae usu funebri cf. *Pauly* RE VI 1064 (*M. Wellmann*), cui addatur *Alfredus Brückner* in *Jahrbuch* VI 199 cum *Müller-Wieseler Denkmäler* II, 59, 751. Isidori Origin. XII 7, 39 ***bubo, avis feralis, in sepulcris die noctuque versatur*** et Ovidi Metam. V 549: *bubo venturi nuntia luctus*, ut alia testimonia praeteream.

Ceterum ne vasa quidem aliqua, aut in sepulcrorum iuxta vicinia aut haud procul ab iis reperta, quae nullo indicio de industria fracta esse appareant, ab hoc usu aliena esse videntur.

Praeterea eidem mori debentur etiam aliquot fundi incertorum vasorum, fortasse magnarum paterarum sive scyphorum nigro γανώματι nitentium, qui ab *Alfredo Brueckner* et *a me ipso* in Ceramico Atheniensi anno 1910 in aggere circa sepulcra,

antiquioris maxime aetatis, reperti, foramina, manifesto voluta, nequaquam fortuita, exhibent (Im. 6 7). Cf etiam *Pernice-Brueckner Ath. Mitt* 1893, 115, 116

Sed multo numerosiora sunt vasa perforata in **sepulcretis Rhenanis**, aetatis Romanae imperatoriae, reperta, ut iam *Georgius Loeschcke* in Actis societatis archaeologicae Bonnensis, mensis Februarii, anni 1899, edocuit. Quomodo Vossius, l.l. supra p. 24, et Loeschckius foramina illa interpretati sint, cum infra sim dicturus, nunc quibus dixi acquiesco. Sed quid haec sunt aliud quam illius moris Aphidnaei sera progenies, non inopi-



7. Vasa perforata in Ceramico Athenarum reperta.

nato atque repente in medium exsulta aut longo intervallo resurrecta, sed sane per desideratos nunc intermedios annulos cum maioribus illis copulanda.

Usus viventium, ut satis constat, prohiberi solebat omnino fractis vasis super mortui sepulcrum suntque nobis exempla frequentissima, ex variis et valde inter se distantibus et locis et temporibus, cognita: cf. e. e. Τσούντας Μυκῆν. 148 N. Γ. Πολίτης in Παρνασσῷ ΙΖ΄ 1894 81-6 (τὸ ἔθιμον τῆς θραύσεως ἀγγείων κατὰ τὴν κηδείαν) *Poulsen Dipylonv.* 19. *Pottier-Reinach Necropole de Myrina* 103. *Watzinger Griech. Holzsarkophage aus der Zeit Alexanders des Grossen* (1905) 22 23. *Erman Aegyptische Religion* 88. *Peet Stone and bronze ages in Italy* 121. *Dussaud Civ. préh.* 402.

Quod ad vasa sepulcris imposita pertinet praeter *lecythum* apud *Woltersium Ath. Mitt.* 1891, 389 laudanda est etiam imago urnae cuiusdam Etruscae in magno libro ab Instituto germanico edito, qui *Urne etrusche* inscribitur, vol. II tab. XCVIII, 1 divulgata, ubi vas sepulcro insidet; eiusdem voluminis in tab. XCVIII, 2sq. vas in aedicula est, quam *Brunus Schrœder* in *Studien zu den Grabdenkmälern der römischen Kaiserzeit* (= *Bonner Jahrbücher* 108) 77 adn. 3 superfluum incrementum artificis esse vult. Sed aediculam cum vase super sepulcra Italiae inferioris crebro occurrere, cum alii tum *Carolus Watzinger* docet in opusculo suo *De vasculis pictis Tarentinis* p. 17· cf. *Br. Schroeder l.l. Pagenstecher Unteritalische Grabdenkmäler* Taf. V. VIc. VIIc. XII. XIII b.d. XIV a. b. e. XV c. e. XVI a. b. et quae p. 30 ss. ab auctore dicuntur.

Quae nunc in sepulcretis antiquis, ut in Athenarum Ceramico, vacuae, apparent aediculae aut vas aliquod testaceum, vel quidem marmoreum, olim continebant, aut, quod mihi veri similius esse videtur, ita inanes a principio et in perpetuum relinquebantur, ut dictis modo diebus, quibus parentari solebat, aut etiam aliis, mortuorum inferias reciperent.

De lutrophororum usu. — Accedunt his magnis parvisve vasis sepulcralibus quae restrictioris fuerunt usus, λουτροφόροι, quibus veteres immaturorum et caelibum sive viduorum sepulcra exornare solebant. Sed, cum huc sermonis nostri advenerimus, liceat mihi rem breviter perstringere lutrophorique usum clarius explicare. Nam, tametsi constat lutrophoros in viduorum sepulturis propter balneum nuptiale, quod illis mortuis religionis vi atque ritus debebatur, quemadmodum partem fuisse necessariam, morem non solis viduorum sepulcris designandis restrictum fuisse, iam dudum et iure quidem *Brueckneros* in *Athen. Mitteil.* 1893 notavit. Non autem balnei modo nuptialis viduis mortuis inferendi necessitas, sed alius quoque ritus, et latior quidem illo, scilicet balnea illa inferna, iam a me supra laudata, a Graecis χθόνια λουτρὰ vocata, quibus omnibus e vita discessis, sine ullo aetatis aut generis aut omnino sexus conditionisve discrimine, dictis diebus parentari solebat, hic quoque, dico, ritus

lutrophori figlinae procreavit usum, eodem fere modo, quo *λουτήρια* illa ab isto instituto religioso repetenda visa sunt *Woltersio,* non solum ingenio et acumine suo, sed etiam testimoniis de hydrophoriis, niso. Quae hydrophoria nil quam necessitas quaedam est et huius nostrae vitae usus ad illam post mortem vitam translata (*Athen. Mitt.* 1891, 399). *Gruppe Griech. Mythol.* II 831, post *Creuzerum Symbolik* III 485 et *Erwinum Rohde Psyche* I 326, lutrophori usum ex veterum opinione, qua immaturorum et caelibum animae, utpote siccitatis ariditatisque auctores, aqua per lutrophoros, fundo expertes, deducta, irrigandae fuerint, explicare molitus est, quamquam ipse l. l. p. 816 iisdem hydrophoriis aquae infernae, singulis locis cum hoc mundo communicantis, mentem inesse adfirmaverat. Quae sit interpretatio Harrisoniana iam supra dixi. *Samter* in libello suo, qui *Geburt Hochzeit und Tod* inscribitur, p. 85, aquam impedimentum quoddam esse existimat, quod mortui anima superare nequeat, idemque est *Goldzihero* visum, qui *Archiv RW* 1910, 20 (*Wasser als dämonenabwehrentes Mittel*), gentium barbararum usu adhibito, docet, non nullos in sepulturis aquam profundere, ne mortuus reveniat. Cf. etiam *Jevons Greek law and folklore* in *Class. Review.* IX. 247, qui Iulidis, Cei insulae, legem, nunc apud *Dittenberger Sylloge* III³, 1218, 14, laudat, ubi v. 14s. haec instituuntur: τῇ δ' ὑστεραίῃ ἀπορραίνειν τὴν οἰκίην ἐλεύθερον *θαλάσσῃ* πρῶτον, ἔπειτα δὲ ὑσώπῳ οἰκητήρια ἅπαντα. Aqua marina in lustrationibus usos esse veteres cum aliis, tum eius ipsius legis Iulidis testimonio comprobatur. Cf. Eurip. Iphig. Taur. 1167 **θάλασσα** κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά et quae alia congessit *O. Gruppe GM II 889 adn. 1.*

Sed ea quacumque se ratione habeant, non pauli faciendum est, inter triginta quattuor lutrophoros, quae ex solo Graeco in lucem prodierunt, tredecim, una cum inferiore parte sua repertas, omnes magnis foraminibus in fundi loco esse praeditas aut potius sine ullo fundo esse, ita ut mos perforandi his vasis lex fuerit. Quod temere ac fortuito evenisse, post quae dixi, non est cui videatur. Neque *Adolpho Furtwängler,* qui ea vasa idcirco fundo vacare dicit, quia vitae nulli usui fuerunt (*Sammlung Sabouroff Text zu Taf.* LVIII-LIX), poterit aliquis

adsentiri, sed sine ulla titubatione rem eiusque veram indolem, tam claram et tam propatulam, a vero principio deducet, scilicet ab illo, iam dicto, usu sepulcrali. Quae cum ita sint neque *Woltersio Ath. Mitt.* 1891. 385 neque *Georgio Perrot Hist. de l'art.* vol. X (1914) p. 668, credere possumus, qui miro quodam genio moti, foramina lutrophororum ad eas in tumulis palis affigendas usui fuisse, invita sane Themide, adfirmant.

At λουτροφορίαν et ὑδροφορίαν, quamquam velata cum specie et multifariam singulis locis explicatam, etiam nunc cum morte coniunctam in plurimis, nisi in omnibus, Graeciae partibus vigere, nemini licet ignorare. Itaque miror *Lawsonium* in suo libro *Modern Greek Folklore and ancient Greek Religion* p. 519s.-536, cum de isto more recentiore scribit, vetustum illum ritum, huius nostri sane proavum, prorsus neglexisse et varia molitum esse, ut haec recentiora cum remotis illis laxiore quodam et rudiore modo compararentur. Etiam si quis σκεπτικώτερος, praeter spem, omnem continuationem veterumque dominationem negasset, quam tamen in moribus atque institutis funebribus Graecis cognoscendis persaepe sine ulla mora atque haesitatione accipere cogimur, etiam tum, dico, ista, de qua agimus, similitudo, nos stupefaceret. Lutrophoriae modo immaturorum et viduorum similem usum occurrere apud nos recentiores recte animadvertit *Lawson* ibid. p. 554, sed non satis dedit. Ceterum, quae *Goldziher, Jevons, Samter* disseruerunt, paulo ante laudavi eaque, ut *Lawsonio* addantur, admoneo.

Ex iis, quae de lutrophori vi ac significatu strictim retuli, facile est usus, tam difusi atque tam procreati, causam perspicere. Quod enim arae, idem lutrophoro evenit. Ars eam medio ex usu eripuit, gustui suo accommodavit, solidam confecit, ornamentis adparavit, sepulcro sicut symbolicum modo signum imposuit et pro monumento habuit. Ex eo tempore homines pii ac religiosi hydrophoria aut more antiquo per figlinam lutrophorum aut simplicius moreque vetustiore lacunae effossae defungebantur.

Ita temporum cursu et progressione rerum etiam hoc vas in universale quoddam monumentum crescit, se culturae aequandum et arti exhauriendum dat et non raro merum ornamentum

est, simillima quadam vice ac fortuna, qua pervetusta illa atque rudia vasa Aphidnae, Eleusinos, Mycenarum, Tirynthis aliorumque locorum, ubicumque mos exstitit, in pulchra et perornata illa labella magnasque sepulcrorum pateras se evoluerunt et extulerunt, resque ab exiguis profecta initiis eo crevit, ut magnitudine fere laboraret sua.

Sed praeter artis in sepulcris decorandis vindicationem, quae in albis lecythis occurrunt imagines paterarum aliorumque vasorum, super monumentorum gradus positorum, moris religiosi vim atque perseverantiam satis superque demonstrant. Cf. e. c. *Pottier Lécythes* 65, 2. 148 s. 62. 69 cum tab. IV *Brit. Mus. Cat. of Vases* III D 54. *Jahrbuch* 1898, 137, 30. 190, 10. *Archiv RW* 1913, 366. Addo quod acumen *Loescheckianum* apud *Alfredum Koerte Athen. Mitteil. XXIV 1899, 10* de his vasis expressit iudicium: «*es lässt sich immer wieder beobachten, dass auf das Grab gesetzt wird, was ursprünglich* **hinein** *gehört*» (Cf. *Brueckner-Pernice Ath. Mitt.* 1893, 145). Quod inducitur «*die steinernen Lekythen und Lutrophoren auf den Gräbern der Athener sind Nachbildungen der dem Toten mitgegebenen Gefässe*», parum recte se habere mihi videtur.

Quod ad lutrophororum, super tumulos ponendarum, morem spectat, quis nobilissimi illius ex arte testimonii oblivisci potest, tam omnibus noti, quod ne revocetur quidem necesse sit. Dico vas illud προθέσεως cum mortui expositi imagine, in Museo Athenarum exstans, quod etiam imaginem tumuli cum superposita lutrophoro exhibet, Invent. num. 450. *Collignon-Couve Catal.* p. 212 n. 688· cf. numeros 689. 690 cum laudata ibidem vetustiore litteratura. *Collignon* pro tumulo «speciem quandam stelae cuneiformis» vidit. Haud recte quidem. Imaginem vasis vide in *JHSt* XIX 1899, 219 fig. 4, apud *Harrison* in *Proleg.* 235, cf. 621 *Themide* 290 s. *Waser Archiv RW* 1913, 366. Ad ipsam imaginem vere interpretandam adhibeatur *Wolters Ath. Mitt.* 1891, 379. 1893, 66, qui his quaestionibus fundamentum posuit.

7. SEPVLCRA PERFORATA.

Quod veteres, ut dixi, in iustis mortuorum faciendis sibi proponebant erat, ut profusiones ad ipsas mortui reliquias per-

venire possent, idque modis, quos supra exposui, illis plus minus effici posse videbatur. At non omnibus ita; populi inquieta et agitata sollicitudo mortuorum quam diligentissime colendorum, in eo Romanae illius *religionis* tamquam praecursor, maiore cum studio ac diligentia, ne cum anili subtilitate (fortasse verius) dicam, eo animum advertere solebat, ut defunctorum vi atque dicioni quam accuratissime obtemperaret neve ulla erga illos aut neglegentia aut impia fraude obligaretur. Erant enim **κρείττονες** *οἱ ἥρωες* (i. e. *οἱ τετελευτηκότες*) et *δοκοῦσι δὲ κακωτικοὶ εἶναι· διὸ καὶ οἱ τὰ ἡρῷα παριόντες σιωπῶσι*, ut *Photius* in *Lexico* suo docet. Quapropter post illas ritus excogitationes et artes, quae, ut ex adlatis monumentorum testimoniis elucet, reliquis praecessere, quin etiam naturali quadam ac necessaria ratione illis praecedere debebant — homines religiosi ulterius sunt progressi et, quo profusiones non ad ambeuntem terram, sed ad ipsas defuncti reliquias deducerentur easque quasi recrearent et reficerent magis studuerunt, itaque foramina sepulcrorum et tubi aut ductus profusionum exstiterunt. Sed, ut reliqui, hic quoque modus praecursores suos non sustulit, sed modo una cum reliquis iter faciens, modo evalescens, modo evanescens delitescensque vitam per saecula degit.


De hoc genere sepulcrorum, quo etiam Thessalonicense nostrum continetur, in clarissimo illo *Pausaniae* loco X, 4, 10, ubi Xanthippi vel Phoci herois sepulcrum describitur, traditum est nobis hoc magni faciendum testimonium: *καὶ ἄγοντες ἱερεῖα οἱ Φωκεῖς τὸ μὲν αἷμα δι᾽ ὀπῆς ἐσχέουσιν ἐς τὸν τάφον, τὰ δὲ κρέα ταύτῃ σφίσιν ἀναλοῦν καθέστηκεν.* Hic de tubo quodam aut ductu agi, nemo est qui sine ullo dubio adfirmet. Sed quod quaeritur et semper fortasse quaeretur, hoc est, fueritne iste tubus, si quis umquam fuerit, ex principio in illo sepulcro, quod quia heroicum etiam vetustissimum fuisse oportet, an serius, et temporibus quidem interea usque ad Pausaniae adventum delapsis, illic fuerit collocatus. *Herrmannus Hitzig* et *Hugo Bluemner* in sua commentata editione Pausaniae vol. III, 2 p. 637, cum de tubo agi sibi videantur, eum modum crebro occurrere dicunt et ad *Stengelii Kultusaltertuemer*[2] 18. 131 delegant.

At *Stengelius*, quamquam etiam ille de tubis in sepulcris

positis loquitur, nullum adfert exemplum satisque habet *escharam* modo magnae **Blisnitsae in peninsula Tamanensi** commemorare, quae tamen nullum habet tubum! Est enim haec Blisnitsae eschara nil quam ὄρυγμα ad infundibuli speciem effossum, cui insuper magnum iacebat tegumen marmoreum eiusque in medio foramen 0,27 cm. latum et mobili quodam lapideo operculo clausum. Opus, quod quarto ante Christum natum saeculo est oriundum, *Ludolfus Stephani* uberius, ut illi mos erat, descripsit in Actis Petropolitanis *(C. R. CAIR de St Petersb.)* anni 1865, 6. Ex quo tempore omnes illo ut exemplo classico escharae, et iure quidem, utuntur, non nulli vero etiam pro exemplo, tubo praedito, admonent, quod mihi minime recte fieri videtur. Ceterum post recentiores effossiones neque unicum esse illud escharae confectae exemplum satius constat, quam ut opus sit mihi pluribus illustrare tantumque modo revoco reperta **Prienae** facta in sacro Cereris et Cybelae *(Wiegand-Schrader Priene* 171, 154 Abb. 123), **Locris** in antiquiore templo ut *Puchstein et Koldewey Tempel Siciliens und Unteritaliens* 2 Abb. 2, 7. 193 docent. *Bulle*, qui haec admonens exempla in *Orchomeno* suo I 31 miro quodam pacto Blisnitsae oblitus est, etiam magnas et pulchras **escharas Samothracias** *(Conze-Niemann Samothrake* I. 20. 60. Tab. 11. 14, 17-21. II, 21 Tab. 47) et duplicem escharam in **Cabirorum sacro Bœotico** repertam commemorat, quas omnes, quamvis eae sepulcralibus sint cognatae, tamen sepulcrales non esse, luce clarius est. Addo fossam **Aeginae** insulae, a *Staë* apud Veneris templum repertam AE 1895, 240, similem **templi Rhodiaci** a *Kinch Fouilles de Vroulia 10* descriptam, aliam a *Pernier Annuario della scuola d'Atene I, 79* laudatam et quartam denique a *P. Orsi* ante templum Minervae **Syracusis** detectam et in *Monumenti Lincei XXV (1919) 361. 401* editam. Ceterum Graecorum escharis fabricatis quam proximae sunt, quae prope sepulcra Aegyptiaca creberrime exstabant, in terra defixae, *tabulae sacrificales*, aliae cavitatibus praeditae ad profusiones mortuis deducendas, aliae vero, sine cavitatibus, ad solidas inferias modo recipiendas. Cf. *Ausführliches Verzeichnis der aegyptischen Altertümer und Gipsabgüsse zu Berlin*² p. 62sq. fig. 7, p. 65 n° 7721 fig. 8, p. 85 n° 1195, p. 96sq., p. 97 n° 12549

fig. 18 = ara sepulcralis ad domus speciem confecta. p. 268 etc. *A. Erman Aegypt. Religion 133.* In museo Batavorum Lugdunensi similia adservantur monumenta Aegyptiaca, quae a. MDMVI vidi. Cf. *Catalogus van het Rijksmuseum van Oudheden te Leiden. Egyptische Afdeeling (1904) 40 nº 59-62. p. 64 nº 72.* De bothro quodam in **Asclepieo Atheniensi** exstante, sitne bothros necne, dubitandum putat *Gualterus Judeich* in sua *Topographie von Athen* 286. De testimoniis scriptis amplius dixi supra p. 9s. Librum *Ubellii Vier Kapitel von Thanatos*, Vindobonae a. 1903 editum, hic Athenis adire non potui neque argumentum eius aliter novi.

Quae sub nomine *κοινὴ ἑστία* ex auctoribus nota sunt monumenta, sepulcra heroum a principio fuisse probabilissimum esse videtur. *Pausanias VIII, 9. 5* de sepulcro *Antinoes* Mantinensis, pro κοινὴ ἑστία habito, ait et *Fougères BCH 1890, 261 — Mantinée 316* in tereti quodam aedificio fori Mantineae agnoscere voluit. Cf. *Frazer Pausan. IV, 212. 441. Gow* in *Journal H. St. 1912, 233.*



8. Sepulcrum cum foraminibus.

Sed cum *Hitzig* et *Bluemner* ad Pausaniae locum illustrandum nihil fere adferunt, praestantissimus editor Britannus, *Frazerum* dico, in sua editione Pausaniae vol. V. p. 227 de hac re iam pridem uberius et accuratius disseruerat, etiam exemplis ex gentibus immanibus adhibitis, quae nuper ab *Ada Thomsen Archiv RW* XII 1909 novis aucta sunt.

Foramina, quae in duabus picturis vasculariis in tumuli crepidine apparent, dico cratera *Vagnonville* musei Florentini et lecythum Eretriacam *BMC Vases III D 56 p. 404* (Im. 8) ab *Engelmanno (Jahreshefte 1905 145 fig. 32. 146 fig. 133)* ad rogum

sepulcralem pertinere putantur, *Pagenstechero* vero in *Unterit. Grabd. 66. 135 adn. 133* probabilius aëris sepulcri renovandi causa exstitisse videntur. Cf. *Milani Museo topografico dell' Etruria 69 = Studi e Materiali I 65. Harrison JHSt 1899. 228.*

Iam cum ad huius capitis propositum totiusque dissertationis nostrae nucleum aggredimur, in enarrandis exemplis temporum ordinem servemus strictissimeque in exemplis tubis praeditis haereamus.

8. — SEPVLCRA TVBVM EXHIBENTIA.

A. Post Tronidis sepulcrum, scripta traditione modo notum, primum ex ipsis monumentis prodit exemplum, quod *Rhomaeus*, **Anactorii Acarnanici** detectum, in *Deltio Archaeologico* II 1916 Παράρτ. 50 divulgavit. Inter quinquaginta fere sepulcra medii sive exeuntis saeculi ante Chr. natum VI, unum est inventum, ubi mortuus in inferiore, dimidio non maiore, parte dolii continetur, cuius operculum in medio cylindrum, 0.21 altum, intus cavum et utrobique apertum, exhibet. Hic una cum operculo copulatus tubus, qui manifesto profusionibus usui fuit, cum altitudinem minorem exspectatione nostra habeat cumque sepulcrum profundius in terra, quam tubi altitudo indicat, positum fuisse accipiamus necesse sit, alterutrum evenisse coniciemus; aut enim alii quoque tubi, superstiti accommodati iamque deperditi, usque ad soli superficiem ductum integrum reddebant eumque usui cotidiano praestabant, aut operculi tubulus inhumationis modo profusionibus profuit, quod tamen mihi minus videtur esse veri simile.

B. Accedit quod ***alterum*** apud *Rhomaeum* occurrit ***exemplum, eodem ortum loco*** iisdemque temporibus. Ibi, ut *Rhomaei* verba mea faciam, „in tegula, quae pectus mortui operit, foramen, diam. 0.027, non temere ac fortuito, sed e proposito apertum esse videtur". Hic forsitan de apparatu ad sepulturam solam pertinente agatur, cum nihil exstet, quod nos de communicatione sepulcri cum vivo mundo certiores faciat. Si cui vero libet cum *Kuestero*[1]), ut ex similibus vasorum foraminibus ita, etiam ex isto tegulae nostrae foramine, exitum et reditum serpentis

[1]) Et *Georgio Loeschcke* (post *Vossium* in *Verhandl. der Berl. Anthropol. Gesellsch. 1875. 134. 1878. 218. 1895. 478)* l. supra citato.

«heroici» excogitare, causam ipse suscipiat, equidem enim parum animadverto, qua quis ratione huius sententiae cognitor esse posset, nisi forte nimio quodam erga propositum suum remissus fuisset amore.

Quod enim *Kuester* in suo doctissimo libro *Die Schlange in der griech. und röm. Religion und Kunst p. 66* ad istam suam opinionem sustentandam enititur, non prodesse rei suae videtur mihi, qui in vasorum fundis foramina esse, non ad serpentem usque ad ea eliciendum, sed contra ad profusiones usque ad illum deducendas, luce clarius perspiciam, praesertim cum ipse



9. Sepulcretum Romanum Bir-el-Djebanna.


Kuester paulo post, quasi sui oblitus, in monumentis, quorum vasa sculpta fundum integrum habent, serpentem usque ad signi fastigium erepere recordetur, ut ex patera vel ex alio quolubet vaso sitim placet. Nam si res ita se habeat, serpentem non foramine egere ad exitum unicuique patet. Quibus tamen equidem, quod serpentes in defunctorum cultu antiquo valuerint, neque negare neque ullo modo imminuere velle videar.

C. Ad quod nunc transeo **vici Algerini Bir-el-Djebanna**, qui vocatur, **sepulcretum** Romanum a Patre missionario *A. L. Delattre*, etiam alioqui de rebus veteris Carthaginis egregie merito [1], in

[1]) Opera eius *Les tombeaux puniques de Carthage* et *Carthage necropole voisine de Ste Monique* non vidi; cf. *Orsi Monum. Lincei XXV p. 401 s.*

periodico francogallico *Revue archéologique 1888 II, 151 sq.* divulgatum et scite explanatum, operae pretium est pluribus hic persequi, non solum propter exemplorum amplitudinem, sed etiam propter temporis erga illud favorem et parsimoniam, quibus illud salvum et fere intactum nobis est conservatum (Im. 9. 10).

In hoc autem sepulcreto, quod primi et alterius est post Chr. natum saeculi, sepulcra fabricatae sunt quaedam arae, formae prismaticae quadratae, $1^{m}.50$ altae et $0^{m}.50 — 1^{m}.00$ latae,



10. Arae sepulcreti Bir-el-Djebanna.

in quibus aedificatae sunt una aut plures situlae, ossa continentes sive ossuaria, quibus patera perforata, tibia fictili cum aëre communicans, operculo est. Tibia aut ad arae axim ad perpendiculum est posita ita, ut in lateris superioris medium desinat, aut obliqua quadam ratione ita est collocata, ut in aliquod e lateribus erectis emergat. Secundum observationes, quas *Patri Delattre* debemus, etiam in sitularum fundo foramen exstabat, quo profusiones, cinere vel ossis irrigatis, usque ad cavitatem, sub ossuario constructam, penetrarent, ubi nummi et vasa fictilia et lucernae aliaeque res cum cinere et frustis combustorum lignorum, rogi sepulcralis reliquiae, depositae erant,

His vero tubis fictilibus etiam ideo uti solebant, quo cineres aut semiusta ossa in situlas, iam ante mortem eventam aedificatas, conderentur, ubi aut nihil inerat aut alicuius, antea mortui, reliquiae continebantur. Sunt enim quae arae situlas suas omnino inanes praestiterint, dum aliarum tubi, ossis semiustis aut cinere referti, in lucem prodierunt.

Has vero aras a priori ad usum paratas fuisse, etiam ex inscriptione quadam funebri, ibidem reperta, colligitur, in qua maritus «*uxori se vivo*» dicit «*fecisse aram*», quae tamen postea suas quoque ipsius suscepit reliquias.

Tibia non raro desideratur; tum vero, eius in loco et quasi ut eius munere defungatur, est in opere cavitas cum situlae ore coniuncta.

Omnes arae extra pulcherrimo sunt albario, λευκώματι illo legis Solonis[1]), obductae, in quo aut operâ caelata aut picturae ornamento sunt.

Ceterum etiam alioqui non parvi facienda sunt haec monumenta, cum iis non nullae inscriptiones Latinae planius illustrentur nosque edoceamur, quid sibi velit ille, iam ab editore laudatus, titulus *CIL VII 1039* cum dicit: «*cuius ossa in ara monumenti sunt intra maceriam*».

D. Ad eandem fere aetatem pertinent **sepulcra quoque Syracusana** a *Paulo Orsi* in *Notizie degli Scavi X 1913, 273* im. *15* et *274* im. *16* divulgata:

Prius sepulcrum, quod hanc prae se fert inscriptionem:

Ζμύρνα Ζμυρναία,
χρηστὴ καὶ ἄμεμ-
πτος. ἔζησεν ἔτη
ιζ.

magnis tegulis est conformatum ad illorum sepulcrorum instar, quos nos τάφους καλυβίτας, i. e. sepulcra in tuguri speciem ex-

[1]) *Opus tectorium* Cic. de legg. II, 26; cf. *Brueckner Arch. Jahrb. VI* 1891, 197, qui exempla ex tumulis Atticis adfert.

structa sive tuguriformia, appellare solemus, viduamque et immaturam continuit *Zmyrnam.*

Ut ex imagine 11 apparet, super tegularum summam iuncturam eiusque in medio tubus est positus fictilis, qui brevior est superficiemque exteriorem muri, circa ipsum καλυβίτην constructi, eumque, amictus instar, circumdantis, vix attingit.




11. Zmyrnae sepulcrum Syracusanum.

E. In altero autem sepulcro, quamquam tubus non inest ullus, tamen thalamus, ubi sepulcrum erat collocatum, portam suam aedificatam duoque in ea teretia foramina exhibet (Im. 12).

Paulus Orsi ad opus explanandum praeter quod de mortuorum cultu accessit argumentum, etiam aëris sepulcralis purificandi necessitatem in hoc opere exstruendo valuisse dicit, recte tamen, ut mihi videtur, in maiore ponit discrimine vim doctrinarum et opinationum, quae de anima tum vigebant, desideriumque

vivorum erga dilectos suos defunctos, qui ita in commercio et quasi in contactu cotidiano cum iis versari possent.

Simili ratione orta eodemque repetenda principio foramina sunt, quae in **situlis cinerariis Etruscis**, non raro etiam colo praedita, occurrunt et ad profusiones recipiendas profecto usui fuerunt, ut *Orsius* in libro *Urne cinerarie etrusche* iam pridem agnoverat. Hic notandum puto, quod *Percy Gardner* in *Journal of Hellenic Studies 1884, 128* memorat exemplum: *there is in the British Museum a sarcophagus in which a hole has been cut to allow food to pass into the occupant, and Mr Newton has suggested that the small apertures near the top of Lycian tombs were made with the same view; they are too small to allow the passage of the dead body itself* . De Lyciorum monumentis sepulcralibus cf. *Benndorf Reisen in Lykien* passim et *Perrot-Chipiez V, 380.*



12. Sepulcrum Syracusanum.

Idem etiam ***cista*** lapidea funebris, in Museo Britannico *(Catal. of sculpt. III p. 358 nº 2.380)* deposita, docet, quippe quae in operculo suo duas habeat cavitates, ad paterae instar conformatas et in fundo foraminibus praeditas.

Nescio an huc asciscenda sint sepulcra, quale illud a *Dennis: Cities and Cemeteries of Etruria I 93* descriptum, quod, in **Cività Castellana apud Falerios** repertum, in cellulae tecto speciem quandam fumarioli habet ad varios, ut videtur, fines pertinentis, sive ad exitum exhalationum corporum putrescentium cinerisque cremati, tamquam aliquod spiramen et, ut ita dicam, efflatorium et effugium — sive ad profusiones recipiendas sive denique ad descendendum aut se inde efferendum, postquam portae conclavis funebris erant obstructae, quod ex cavitatibus, in ductus parietibus exstantibus, quae pedum efficiebant gradus sive scalam, facile colligitur.

Alii ductus, huic similes, etiam alibi Etruriae praesto sunt, sed frequentissimi sunt **Faleriis** et in vico *Cività Castellana* qui dicitur. *Fr. von Stryk* dissertationem *Etruskische Kammergräber (1910)* ex *Erici Kuester* libro, iam saepe laudato, pp. 54. 68. 107, modo novi.

Sepulcra thalamata (quo τάφους θαλαμοειδεῖς intelligi volo) cum ductu ad perpendiculum recto et Tyrrhenis propinqua, etiam **Teuchirae in Cyrenaica** *Dennisius* aperiit aliaque exempla, his cognatissima, e **Phrygia** refert, collato *Steuarto Ancient monuments of Lydia and Phrygia pl. VII,* recteque demonstrat illa sepulcra omni alio aditu carere, quod etiam in sepulcris **Norciae** et vici **Castel d'Asso** occurrit. At haec ultima sepulcra, non ad nostrum pertinent propositum magisque aliis componenda esse videntur, quae cum in Graecia tum in **Aegypto** in lucem prodierunt. Aegyptiaca exstant apud *Adolphum Erman Aegypten II 419;* cf. etiam *Gustavi Jecquier* utilissimum libellum *Histoire de la civilisation Égyptienne* passim. Quod omnino ad usum cum mortuis communicandi spectat, Aegyptus, in qua defunctorum cultus totius religionis prope dimidium efficit, exemplum praebet, quo studium vivorum ad profusiones usque ad ipsas reliquias humanas deducendas unicuique patet. Narrat enim *Ermanus Aegypten II 421* in sepulcris generis *mastabarum* praeter thalamum, etiam alterum esse, illo minus, conclave, quod, Aegyptiorum lingua *serdab* appellatum, defuncti simulacro adsignari solebat et a cultus loco muro quodam erat seclusum, ut *ka,* quod illorum opinione defuncti est anima, in simulacro suo insidens, iustis faciendis in proximo adesse posset. Sed non raro, idque insigne mihi videtur, in illo intersepto foramen exstat, quo incensorum odores se melius in *serdab* intruderent et ad simulacrum accederent. Cf. etiam *Breasted History of Egypt' 69. 70: As the statue was an exact reproduction of the deceased's body his* ***ka*** *might therefore attach itself to this counterfeit, and* ***through the connecting channels*** *enjoy the food and drink placed for it in the chapel.*

Hic non praetereundum puto etiam quod apud *Perrot et Chipiez Histoire de l'art I 317* reperii **sepulcrum Gizehitanum,** *Campbelli* nomine signatum, temporibus vero novi, quod dici-

tur, imperii ortum, cuius parietes supra foramina, ad tubi instar et erecta ad perpendiculum, exhibent, fortasse ad ventum excipiendum, vel potius, quod mihi non veri dissimile esse videtur, cum ritu sepulcrali connexa.

Similis est usus Graecus Mycenaeus, cuius vestigia in **sepulcro Menidiaco**, in sepulcris **Argolidis** et vici **Spata**, qui dicitur, Attici apparent. Est enim notatum in his omnibus «*Bei der Vermauerung der Grabtür ist aber meistens bei den Kuppel- und Kammergräbern **ein kleines Loch** unter dem Türsturz frei geblieben, durch das die Verbindung der Oberwelt mit dem Toten immer noch möglich war.* (*Das Kuppelgrab von Menidi 108. Tsuntas* Ἀρχ. Ἐφημ. 1888, 130. *Gropengiesser Die Gräber von Attika der vormyk. und myken. Zeit (1907) 54).*

Ab his omnibus parum longe distat **usus Turcicus** a *Theophilo Gautier* in sua *Constantinople* cap. XIII p. 162 commemoratus. Humatione Turcarum descripta haec inducit clarissimus auctor, quae in eius ipsius lingua apponere malo: «*A la tête de la fosse on laisse une espèce de trou ou de conduit, aboutissant à l'oreille du cadavre, pour qu'il puisse entendre les gémissements, les éjulations et les nénies de sa famille et de ses amis. Cette ouverture, trop souvent élargie par les chiens et les chacals, est comme le soupirail du sépulcre, comme le judas, par lequel ce monde-ci peut regarder dans l'autre*».

De ore tuborum sepulcralium. Ubi veteres sepulcra sine tubo construebant, ibi profusiones, quo modo iam supra enarravi, deducebantur, fossaeque et arae et vasa, inde ab aetate Aphidnaea usque ad picturas vascularias amphorae Petropolitanae et nobilissimae lecythi Jenensis [1]), nota, mundum sepulcrorum efficiebant.

---

[1]) *P. Schadow Eine attische Grablekythos. Jena 1897. JHSt. 1900, 100 (Harrison). Harrison Prolegomena 43. Themis 295. Furtwaengler-Reichhold Griech. Wasenmalerei III, 29 fig. 12. Riezler Weissgr. att. Lekyth. 12 n. 25. Schadow* et quae post illum picturam vascularium interpretari conata est *J. Harrison* imaginem lecythi cum Anthesteriis Atticis connectunt eorumque pithœgiis i.e. doliorum aperiendorum diei, qui est primus in illis festis, adsignant. At Anthesteriorum dolia vinaria nihil aliud quam prisci illius moris mortuorum in

Ubi vero tubi adsunt, ibi etiam aliam reperimus *mundi* speciem, idque est nobis nunc quaerendum, qualis tuborum sepulcralium superior et conspicua pars fuerit.

Sepulcrum Syracusanum, quod, ut iam supra vidimus, Thessalonicensi quam simillimum est, tamen in hoc illud superat, quod os suum integrum conservavit. Profusionum ductus testaceus non multo altius, quam ipsius sepulcri fastigium, elatus, foramen suum operculo, item testaceo, prae se fert clausum, quod facile tolli posset, quotiescumque prolibandi tempus adesset.

Idem in aliis quoque sepulcris, his duobus adsimilibus, olim exstitisse, non solum ordinis et elegantiae ergo, verum etiam ad cadaverum exhalationes coërcendas, parum dubium esse videtur. Quamquam, non omnia illa sepulcra cadavera continuere, sed sunt quae ossuaria modo fuerint.

Hodiernus aut, rectius, qui est in memoria nostra, novissimus usus aliquid lucis causae nostrae adferre nequit, cum omnino simplex ac fere primordialis sit satisque habeat tubum in terra esse modo defixum.

Planior est in eo sepulcreti Carthaginiensis doctrina, ubi profusionum ductus in pateram evadit.

Prius illud Anactorii sepulcrum item nullum praestat auxilium, quia, ut vidimus, vel non integrum ad nos pervenit vel fortasse exsequiarum solum iustis faciendis usui fuit.

Certe, si semper sepulcretorum superficies integra atque intacta ad nos pervenisset his partibus sepulturae vel diligentissime vacare possemus. Quomodocumque tamen hae se habent res, licet, duce peritia nostra sepulcrali adhuc acquisita, cum aliqua securitate coniicere, ut in multis aliis, ita etiam in eo similitudinem et quasi unum aspectum nulla ratione neces-

doliis sepeliendorum resonantia est, ut iam pridem *Otho Gruppe* dispexerat (*Griech. Mythologie 94. 761, 9. 816, 5. Mythol. Literatur 468*). Constat enim inferorum mundum apud Graecos πίθον vocari, quod dolia-sepulcra revocat. Ceterum etiam ex nomine alterius Anthesteriorum diei, χόες qui est, facile colligitur primum eius vocis significatum a voce χοαί, qua profusiones sepulcrales postea indicabantur, parum discrepuisse. Cf. praeter *Harrison l. l. Albrechtum Dieterich Archiv RW. XI 1908. 172s. Fairbanks Athenian Lekythi 306 VII, 9* negat dolium Hadae esse os. Piget me *Blinkenbergii* opinionem l. l. propter linguam non prorsus comprehendere potuisse.

sarium fuisse, sed rerum conformationem ab individuo vel ab eius opibus vel scrupulosa pietate vel ab elegantia aliisve conditionibus, quae varietatem efficiunt, pendere. Itaque in hac quoque sepulcrorum parte, de qua nunc quaerimus, tubi, modo nudi e sepulcri terra procubuere, modo diligentius, ut Carthagine, erant confecti, modo denique aliam habebant capitis formam.



13. Profusionum receptaculum Rhodiacum.

Ad usum sepulcralem certe pertinuit osque tubi alicuius profusionum aut receptaculum modo sine tubo, super aliquod sepulcrum positum, fuit, etiam vas testaceum, fundo carens, quod in *Catalogue de la Collection de M. E. Antiquités Grecques et Romaines, Paris 1904, tab. III n° 23* primum editum, postea ab *Erico Kuester l.l. 41 cum fig. 31* breviter citatum, sed in suo vero significatu non prorsus comprehensum, a *Roberto Zahn* apud *Kinch Vroulia (1914) p. 26sq. cum. fig. 13a-c p. 29-30* accuratissime est descriptum et explanatum.

Hoc non proprie vas, sed potius receptaculum est aut, rectius, tubus ad vasis formam confectus, qui 0m. 285 altus est et 0.145-0.15 diametrum habet. Ornamenta et ars opus aetati geometricae adsignant, serpentes usum funebrem plane indicant (Im. 13). Repertum est **Rhodo** in insula, fortasse non procul a **Camiro**, unde etiam reliqua collectio rerum antiquarum, quibuscum venum iit, repetenda est. Nunc in *Museo Be-*

rolinensi adservatur eiusque in *Antiquario* sub n° 4563 inventaris vasorum conscriptum est.

Quamquam non sepulcrales, tamen ad libationes, ***dis inferis*** debitas, recipiendas item parati et propterea tubis sepulcralibus cognatissimi sunt:

1. Tubi testacei, formae subconicae, in sacello minoico *(LM₃)* a *Boyd-Hawes* aliisque **Gournia**, quae dicuntur, in vico **Cretico** inventi, qui serpentibus ornati sunt. Cf. *H. Boyd-Hawes Gournia, Vasiliki and other prehistoric sites p. 48 tab. XI, 11-13.*

2. Duo tubi conici, eiusdem aetatis, in vico **Prinias apud Gortyna Cretensem** a *Friderico Halberr* detecti et a *Sam Wide* in *Athen. Mitteil. XXVI. 1901, 247sq.* pluribus explanati. Hi tamen tubi propter quae foramina ovalia in parietibus habent, non mihi certe libationum esse ductus videntur.


3. Tubus **Cypriacus** aetatis archaicae, quem in sacello quodam Dianae **Citii** detectum posteaque in *Pieridae* collectione Larnace contentum, primus edidit *Ohnefalsch-Richter* in *Kypros, die Bibel und Homer 169. 286 fig. 187. 188, tab. XVII, 2. 3*; cf. *Boyd-Hawes* et *R. Zahn l. l. cc.*



14. Mundus sepulcri Atticus.

Sed iam antea **Aegyptus**, quae in instrumentis religiosis semper locupletissima fuit, multa nobis dedit exemplaria huius generis receptaculorum. A principio ea «colla usque ad IV^{tum} regnum lapidea erant, deinde inter V^{tum} et XII^{um} regnum illis testacea erant suffecta, item utrobique aperta, quorum altitudo 0.50-0.25^{m} est. A XII^{mo} usque ad XVIII^{um} regnum altitudo paulatim eo diminuit, ut denique annulus ex illo collo enatus esset. Cf. *Lythgone* apud *Boyd-Hawes Gournia 18 adn. 5.*

Quo ex numero etiam vas illud esse videtur, a *Furtwaenglero* in *Archiv RW III 1905 = Kleine Schriften II 122* editum, cuius altitudo est 0.125, superior diameter 0.147, inferior 0.16, utraque extremitas aperta (Im. 14). Hoc instrumentum, quin ad usum funebrem pertinuerit, propter Charontis, mortuorum vectoris, imaginem superpictam, haud ambiguum esse potest. *Adolphi Furtwaengler* acumen aram illam Mycenaeam repetitam esse in eo agnovit, statim autem basim esse coniicit vasis alicuius sine fundo aut infra in acutum desinentis, sed cum etiam id non satis esse sibi sensisset, cum ore putei alicuius vel cisternae composuit, quaeritque dubitans fueritne



15. Annuli testacei Athenienses.

positum super sepulcrum ad profusiones recipiendas necne. Post ea, quae supra a me sunt exposita, equidem hoc ultimum solum stare posse puto neque, vel paulisper, cogitare vereor illam ex terra excelsam partem tuborum ab eiusmodi quodam ore non raro circumdatam fuisse. Quae vero in labris, ad crucis instar, dispositae sunt verruculae, dilucide mihi demonstrare videntur, operculum quondam huic receptaculo superpositum fuisse idque totidem cavitatibus, ad verruculas recipiendas, praeditum fuisse.

Alterum est simile os, quod ex *Formani* collectione (sub nº 330 p. 64 fig. ante p. 62) ab editoribus operum minorum *Furtwaengleri* brevissime est adiectum. Addo quae ex editoris Britanni *Caecilii Smith* descriptione huic nostro contextui utilia deprompserim. Dicit enim ille istud instrumentum vasis esse ὑπόστατον et ad genus segnius picturae vasculariae cum figuris


nigris refert. Altum est 6 uncias sive 0m.15 et habet diametrum 7 3/4 unciarum id est 0m 193 et imaginibus saltatoriis et convivalibus est ornatum, quocirca natura eius sepulcralis forsitan alicui ambigua esse appareat, mihi tamen non omnino excludi posse videtur.

Firmior autem et certior in opinione mea fio, cum mentem ad reperta quaedam, in iisdem **Ceramici Atheniensis** effossionibus eruta, verto, quae testacea sunt et *Furtwaengleri* escharae collisque Aegyptiacis similiora ab similique usu orta esse videntur (Im. 15 et imag. 7 ad sinistram duo exemplaria superposita). Rudia sunt et impolita, quamquam magnitudine ab illa eschara superata. Si quis vero, hanc ob causam, his «collis» quem equidem accipio usum sepulcralem abiudicaverit, etiam tum eos cum cotyliscis, ibidem frequentissime in lucem proditis et forma et magnitudine valde distantibus, parum componere incipiet.



16. Profusionum receptaculum Bononiense.

Non ab nostris mundis aliena mihi videntur esse etiam vasa quaedam testacea insolitaeque formae, quae ex sepulcris apud **Bononiam** repertis et ad aetatem *Villanoviana* quae ab archaeologis vocatur (VIII s. ante Chr. n.) pertinentibus, eruta sunt. Forma eorum est aut ut tubi, cuius labra et pes vastiora sunt (Im. 16), aut prorsus cylindrica (Im. 17). Altitudinis fere in medio diaphragma, item testaceum, est in vase. Sed, quod notatu dignissimum puto, hoc diaphragma saepissime aut pluribus foraminibus iuxta positis praeditum est aut fissuram, in crucis speciem, in medio apertam exhibet. Non raro etiam operculum testaceum, ad cistarum exemplum, os claudit. Edita sunt haec vasa a *Montelio La civilisation pri-*



17. Profusionum receptaculum Bononiense.

mitive en Italie tab. 84 fig. 30. 90, 15. 94, 6. Ghirardini Bullet. di paletnologia 1889, 83-103. Mélanges d'Archéol. et d'Histoire 1907, 384. 385 fig. 24 et denique pertractata a *Grenier Bologne Villanovienne et Etrusque (1912) 248 fig. 55. 252 fig. 58 ad sinistram.* Omnes editores in iis aliquod *vase-support* agnoscere volunt. Sed perperam, me iudice. Profusionum enim plane sunt receptacula. Inventores non plane dicunt sintne haec receptacula mediis in sepulcris aut super ea reperta. At id recordanti mihi Tanagraeorum sepulturas nullius esse videtur momenti. Qui enim de Tanagraeorum rebus sepulcralibus inquirendis egregie est meritus *Bernardus Haussoullier* in suo optimo libello, *Quomodo sepulcra Tanagraei decoraverint* inscripto et a. 1884 edito, haec edocuit p. 95 «...quid in animo habuerint inquirenti, animadvertendum primo altaria, vel inscripta, mediis in sepulcris reperta fuisse, ita ut funebri supellectili adnumeranda esse dicas et ad usum mortui comparata. Quid igitur? Nonne mortuus fictis istis altaribus ficta libamina infundet quomodo lucernis vel vasis utitur intra sepulcrum iacentibus? Ne quis autem obiciat et extra sepulcra reperta fuisse altaria: retulimus enim et intra et extra sepulcra depositam fuisse funebrem supellectilem . Aediculas tamen cum Haussoulliero p. 96 funebri supellectili adnumerare non audeo. Cf. quae supra p. 30 dixi.

Sed antequam sermonem de profusionum receptaculis relinquo, liceat mihi utpote clausulam addam, quem inferendi modum unicum *Philostratus* in *Heroico VIII, 3* de Aiacis Locri inferiis tradit. Dicit enim rhetor Graecus: Ἐναγισμάτων τε αὐτὸν τυχεῖν, ἃ μήπω ἐπηνέχθη πρότερον μήτε μὴν ὕστερον ἀνθρώπῳ τινί, μηδὲ ὁπόσους ναυμαχίαι ἀφανεῖς ἔσχον· ἐς γὰρ Λοκρίδα ναῦν, ἣ τὸν Αἴαντα ἦγε, ξύλα νήσαντες, ὥσπερ ἐς πυράν, ἔσφαξαν μέλανα πάντα καὶ στείλαντες αὐτὴν ἱστίοις μέλασι καὶ τοῖς ἄλλοις, ὁπόσα εἰς τὸ πλεῖν εὕρηται, ξυνεῖχον πείσμασιν ἔστε πνεῦσαι τὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἄνεμον, ὃν περὶ ὄρθρον μάλιστα ἡ Ἴδη ἀποστέλλει, ἐπεὶ δὲ ἡμέρα διεφαίνετο καὶ κατῄει τὸ πνεῦμα, πῦρ ἐς κοίλην τὴν ναῦν ἐνῆκαν, ἔπλει τε δὴ μετεωρίζουσα εἰς τὸ πέλαγος καὶ οὔπω ἡλίου ἀνίσχοντος αὐτή τε κατεφλέχθη καὶ ὁπόσα τῷ Αἴαντι ἔφερε.

Huius sunt generis quae vel sepulcrum Thessalonicense praecesserunt vel eius propinqua exstiterunt exempla, monumenta sane studio dignissima et veracissimi testes, unumquemque docentes, quid de religione senserint et qua gentiles illi erga suos pietate fuerint.

VSVS CHRISTIANVS.

At non minus quidem interest nostra et, quod ad rerum humanarum cursum et progressionem pertineat, non parvi est faciendum, hominem etiam in eo semper sui similem esse. Postquam enim animus humanus regeneratus et quasi recoctus in nova fide fuit, novus amictus, quamvis πνευματικώτερος fuerit, tamen veterem hominem vix totum sustulit neque eum ab terra matre detrahere aut ab iis, qui in eius gremio quiescunt, devertere potuit. Quamquam in restrictioribus finibus et sub vario aspectu aliamque prae se ferens causam, nihilominus pergit illud pendendi ex aliquo potiore studium et insita proclivitas vel potius contentio atque perpetua temptatio.

Necessitas placandi eos, qui ex hac vita migraverunt et in aeterno communi sensu non solum extra hunc mundum, verum etiam supra eum in immortalium numero facile habentur — modo debilior, modo vivacior procumbens, praecipue primis Christianorum saeculis, ubi de viris eximie moratis et inflexibilis virtutis ac fortitudinis agebatur, non simplex quaedam placatio aut expiatio est, sed auxilii magis et firmamenti rogatio atque exoratio ad huius vitae molestias superandas. Populi enim, ut de morte statuunt, ita mortuos sepeliunt.

His omnibus documento est quod *Orsius* in *Notizie degli Scavi 1893, 293* divulgavit exemplum Sancti Johannis **Syracusarum**. Ibi enim in tabula marmorea sepulcri, sane non vulgaris alicuius hominis reliquias conservantis, sed, vel morte sua fortasse martyrica, insignis cuiusdam viri Christiani, tria sunt foramina, ad infundibuli instar et ad rectam lineam disposita, quorum in medio accommodata erat humilior quaedam patera, ex lamina aenea confecta et minutis foraminibus plena, quae,

sicut colum, foramen infra exstans claudebat [1]. Ad quam rem explanandam *Paulus Orsi* etiam aliunde nobilem adfert consuetudinem missarum super martyrum sepulcra habendarum, non raro vel remotis arcarum operculis. Est nobis ex *Anastasii Bibliotheca IV, 485* notus locus de *Pappa Felice Primo* qui *constituit supra sepulchra martyrum missas celebrari*». Ei coniungenda sunt etiam quae *De Rossi Roma Sotterranea I 285 (Orsi l. l.)*, enumeravit exempla.

At non sola missarum celebratio haec peperisse videtur foramina, quae potius antiquam illam choëphoriam, super martyrum solum sepulcra procreatam esse docent. Non est enim aliter interpretandum quod *Aurelius Prudentius Clemens*, poeta Christianus (348—410), in suo *Peristephanon* (i. e. Sanctorum laudibus) XI (179), 193-4 de *Sancti Hippolyti sepulcro*, Romae adservato, dicit:

> *oscula perspicuo figunt impressa metallo,*
> ***balsama defundunt**, fletibus ora rigant.*

Ad quae mihi *Kraus* in sua *Realencyclopaedie der christlichen Altertümer I 482* s. v. *fenestella confessionis* morem Christianum recte admonere videtur, quo, ut balsama super martyris sepulcrum defundi solebant lucernaque sepulcralis nardi oleo impleri, ita sacri peregrinatores etiam res, quae qualicumque modo cum martyris alicuius sepulcro in contactu fuissent, sicut oleum ex lucerna, textilia aliaque similia, tamquam sacras reliquias, memoriae quin etiam salutis causa, secum asportabant.

Itaque e profusionum foraminibus, inde a quarto saeculo, maius illud sepulcri foramen enascitur, quod *fenestella confessionis* appellatum — *confessio* id quod martyris *sepulcrum* valet — non modo unguenta profusa recipiebat, sed etiam partes textilium, quae, postquam aliquamdiu ibi conservatae erant, deinceps, divina quadam vi praeditae, recuperabantur et pro amuletis sacrisque reliquiis hominibus piis distribuebantur, quibus

[1] Non eandem habent vim, quae in quibusdam sepulcris paganis reperiuntur *cola* aut *cribra*, quia illa ἀτελεῖς sive ἀμυήτους vitae i. e. viduos potius indicant, si lucidam *Friderici Hauser* interpretationem sarcophagi, in *Torre nova* reperti, sequimur *(Röm. Mitteil. XXV 1910, 275;* cf. *Rizzo ibid. 155).*

sub voce *brandea* sive *pallioli* notae erant. Cf. *C. M. Kaufmann Handbuch der christl. Archaeologie 190. A. Lowrie Handbook of christian art and archaeology 193*. Revoco notissimas *ampullas Monzanas*, de quibus cf. *Diehl Manuel de l'art Byz. 292, Dalton Byzantine art and archaeology 623*, et ampullam olim unguentum, Sancti Demetrii sepulcro depromptum, continentem, de qua, post alios, etiam ipse egi in diario archaeologico Graeco *ΑΕ 1918 p. 50*.

Ceterum temporibus Christianorum vetustioribus, cum mores et ritus pagani novum aspectum nondum acceperant iidemque immutati, innato populi sensu et traditionis tenore firmati, in novam religionem immiscebantur, praeter choëphoriam, etiam paganae illae *cenae ferales* hic memorandae sunt, quae, nihilo minus quam profusiones, mundo Christiano alienae atque abhorrentes viderentur, nisi eas prisca consuetudo consecravisset.

Sed omnem, qui forte nimis exsistebat, aestum consuetudinis, novae fidei antistites semper aequare et repellere conabantur itaque hereditas pagana in angustiores fines coërcebatur. Cf. omnino *V. Schultze Archaeologie der altchristl. Kunst (1895) 135*. Quod vero interdum scriptores fugit exemplum, hic addendum puto, quippe quod hanc ecclesiae christianae cum moribus paganis contentionem optime illustret. Constat enim concilium aliquod christianum, inter IV et VII saeculum habitum, usum nummi Charontei Christianis plane ac severe interdixisse, ut iam diu *Polites* Μελέτη περὶ τοῦ βίου τῶν νεωτέρων Ἑλλήνων. Α´ Νεοελληνικὴ Μυθολογία (I-II) p. 269 adlatis attinentibus testimoniis demonstravit. Cf. *Lawson Modern Gr. folklore (1910) 109s*.

Pfister in suo doctissimo et sapientissimo libro *Der Reliquienkult im Altertum*, scriptorum modo testimoniis nixus cultum reliquiarum Christianarum cum breviter pertractat et veteris traditionis continuationem novaeque religionis connexum cum illa ad exemplum admirabilis scholae, cui *Hermannus Vsener* facem praetulit, aptissime effert, sanctorum quoque cultum ab heroum cultu manasse iure adfirmat (*Pfister 607. 618. 620*).

Monumentorum vero testimonia, vix a me relata, scriptam illam scientiam nostram non solum explent, sed etiam illus-

trant et quasi sub oculos subiiciunt. *Nihil est autem quod non longinquitas temporum excipiente memoria prodendisque monumentis efficere atque adsequi potest*»[1].

Lucii tractatum qui est de originibus cultus sanctorum *Die Anfänge des Heiligenkults in der christlichen Kirche herausg. von G. Anrich 1904* et Abbatis *Duchesne* librum *Origines du culte chrétien* 1908 Athenis adire non potui.

At quae est *Karoli Mariae Kaufmann* inopinata et inexspectata opinio in libro suo *Die sepulkralen Jenseitsdenkmäler der Antike und des Urchristentums* Moguntiae a. 1901 edito (cf. *Gruppe Mythologische Liter. 308)* expressa, mundum scilicet paganum nullius fuisse momenti in christiano a se conformando, a nemine, qui sapiat, ne valde indulgente quidem, accipienda videtur, nisi quis pervertere historiam velit.

Recte est enim animadversum et notatum primos Christianos, prioribus aerae nostrae saeculis, Judaeorum mores sepulcrales omnino secutos esse, sed propter locorum varietatem in propaganda fide, novas rerum condiciones, etiam novam rerum formam effecisse Quare postquam se ab Judaeis segregavissent pagani, qui frequentes in Christum conversi fuere, in cultu funebri excolendo plurimum valuerunt et haec rerum mutatio, iam ante exitum saeculi I, in sepulcretis confecta apparet Christianorumque separatio in propriis sepulcretis ineunte II saeculo satis diffusa fuisse videtur, quamquam non universos amplectitur locos, ut ex exemplis a *Ramsayo Cities and Bishoprics of Phrygia I 500. 717* enarratis facile colligitur. Cf. *Mitchell* apud *Hastings* in *Encyclopaedia of Religion and Ethics IV (1911) p. 456sq.* Addendum est quod idem *Ramsay Cities I 100* de deificatione mortuorum recte animadvertit cum dicit formulam *Dis manibus* vel in titulis quibusdam sepulcralibus Phrygiae et Galliae christianae occurrere *(Leblant Inscriptions chrétiennes de la Gaule I p. 264 II p. 406. Waddington—Le Bas Inscriptions de l'Asie Mineure 2145. 2419.* De deificatione

[1]) Cum plagulas corrigo, video *Diderici Fimmen* novissimum librum *Die kretisch-mykenische Kultur* (1921), qui p. 68 n. 1 iure *Pfisterum* reprehendit in eo, quod monumentorum testimonia neglexerit.

apud Graecos cf. *Bernhardum Laum Stiftungen I p. 71* exemplaque ibi congesta).

Sed haec de mundo occidentali. Quod autem ad orientem christianum pertinet, nihil est nobis inde cognitum, quod cum sanctorum cultu iam laudato componere liceat. At hic nobis documento adhibenda sunt quae ex posterioribus temporibus usque ad hodiernam fere aetatem in nostram pervenerint cognitionem de iustis mortuorum apud populum Graecum, ubicumque is dispersus fuit, usitatis. Quapropter choëphoria usque ad novissima fere tempora multis in locis Graeciae recentioris animadversa et notata, fortasse autem etiam nunc vita fruens, prorsus suboles est priscae illius Graecitatis neque est mihi ulla ratione persuasum hic de artificio quodam scholastico sive de regeneratione facticia et inculcata, ab aliquo erudito repetenda, agi, cum tanta sit consuetudinis dispersio et frequentia, ut vix nos continere possimus, quin isto facto eximium pondus assignemus, quamvis nobis conscripta de eo testimonia desint et ecclesiae christianae institutiones contra usum, quoad sciam, non reperiantur.

De his profusionibus Neograecis breviter locutus est in suo bono, quamquam nunc inveterato, libello ***Περὶ τῆς παρ᾽ Ἕλλησι ταφῆς*** *Johannes Protodicus p. 17* et qui ab illo profectus est ad suam optimam dissertatiunculam componendam *Das alte Griechenland im neuen Curtius Wachsmush p. 124. Polites* in *Parthenone B′ (1872) 1137* et in *Parnasso IZ′ (1894) 81* breviter sed luculenter. Uberius autem *Guilelmus Barth* et in Graeca *Ἁρμονίᾳ A′ 1900 306 sq. 314* et in Germanicis *Neue Jahrbücher für das klass. Altertum 1900, 177,* utrobique ex universa Graecia exemplorum copia congesta. Hac occasione oblata ad *Joannis Lydi,* qui de mensibus est, tractatum, ed. *R. Wünsch, IV § 31* referre velim, ubi, praeter alia, non parvi facienda, etiam hoc auctor dicit: . . . . *χοὰς δὲ αὐτὰς ὠνόμαζον ἐκ τοῦ ἐκχεῖσθαι τοῖς τάφοις·* **σῴζεται δὲ καὶ νῦν ἴχνος· ἐν γὰρ τοῖς ἱεροῖς ἄρτον καὶ οἶνον προσφέρομεν. Ἱερὰ** ad eucharistiam divinam spectant. *Lydus* quinto post Chr. natum saeculo floruisse traditur, primusque est, qui, ni fallor, prisca illa cum recentioribus coniungere coepit.

At non de profusionibus ipsis nunc nobis agitur; instrumenta enim earum quaerimus. Quae cum rariora sint vel, quod veri similius, cum inobservata inconscriptave transierint, non sine aliquo gaudio est recipiendum quod periegeta Britannus *Fellows* in sua *Reise durch Kleinasien 241* et post eum *C. Wachsmuth l. l. 123* et *Poulsen Dipylon 19* commemorant in **Asia Minore** occurrere, ubi, etiam breve ante haec nostra tempora, usus floruit tuborum ligneorum vel testaceorum in sepulcris positorum, qui, paulum super solum excelsi, profusiones ad defunctorum reliquias deducerent.

Praeter exempla, ex antiquitate iam supra cognita, adhibenda sunt etiam quae e **gentium barbararum** iustis sepulcralibus admonuit *Frazer Pausanias V 227* et *Ada Thomsen Archiv RW XII 1909, 483*, ubi ***arundines munere tuborum defunguntur.***

Corrigendum et addendum.

P. 10 l. 15 exple: ex quo *est* apud Athenaeum etc.

De *rhytis* Minoicis et Mycenaeis, quae ad religionem certe pertinuerunt, sed a receptaculis sepulcralibus plane seiungenda esse videntur, optime disputavit *Georgius Karo* in *Jahrbuch des d. Inst. XXVI, 1911, 249sq. 270.*

INDEX CAPITVM

INDEX ALPHABETICVS

ΔΗΜΟΣΙΕΥΜΑΤΑ ΤΗΣ ΑΡΧΑΙΟΛΟΓΙΚΗΣ ΕΤΑΙΡΕΙΑΣ

(Λεωφόρος Πανεπιστημίου 20).

Δραχ.

1. ***Ἀρχαιολογικὴ Ἐφημερὶς*** (πρβ. πινάκιον τῆς ΑΕ ἐν ΑΕΑ. [Λεύκωμα τῆς ΑΕ τυπωθὲν τῇ 30 8 12] 1-3):

(*περίοδος 1η*) 1837-1843: τεύχη α΄-ιβ΄, ιγ΄ (καὶ ιδ΄), ιε΄ (τεῦχ. ιϛ ἴδιον δὲν ἐξεδόθη), ιζ΄-κθ΄· 1852-1860: τεύχη λ΄-νε΄· πωλοῦνται ταδε τὰ τεύχη ια΄, β΄, γ΄, δ΄, ια΄, ιβ΄, ιε΄, ιζ΄, ιη΄ κτλ — κθ΄, ν΄, να΄, νγ΄, νδ΄, νε΄· το τεῦχος ἑκαστον . . . . 1.

(*περίοδος 2α*) 1862: τεύχη α΄-ιβ΄ (τὰ τελευταῖα τέσσαρα ἐξεδόθησαν τῷ 1863)· τὸ τεῦχος ἕκαστον . . . . 1.

1869: τεῦχος ιγ΄· 1870: τεῦχος ιδ΄· 1872: τεύχη ιε΄ καὶ ιϛ΄ (το ιϛ΄ ἐξεδοθη τῷ 1873)· 1874: τεῦχος ιζ΄· τὸ τεῦχος ἑκαστον . . . . 3 —

(*περιοδος 3η*) 1883 κε΄: εἷς τομος κατ᾽ ἔτος, ἐκ τεσσάρων τευχῶν συγκείμενος· τὸ τεῦχος ἕκαστον 6.25

2. ***Εὑρετήριον τῆς Ἀρχαιολ. Ἐφημερίδος τῆς 3ης περιόδου***· ὑπὸ *Ἀλεξάνδρου Λαμπροπούλου* τόμος 1ος: ΑΕΕ 1883-1887. Σχῆμα 4ον, σελίδες η΄ καὶ στῆλαι 550. 1902 . . . . 30.

3. ***Πρακτικὰ τῆς Ἀρχαιολογικῆς Ἑταιρείας (ΠΑΕ)***:

α΄) Σύνοψις τῶν πρακτικῶν τῆς Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας Ἀθηνῶν: 1837-1846 7· ἔκδοσις 2α. Ἑλληνιστὶ καὶ Γαλλιστί. Σχῆμα 8ον, σελίδες 325, μετὰ πίνακος (Ἀνδρονίκου ὡρολόγιον, εἰς σ. 247, πρβ. σ. 318). 1846· δὲν πωλεῖται . . . .

β΄) Πρακτικὰ τῆς 6ης γενικῆς συνεδρίας τῆς ἐν Ἀθήναις Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας: 1841 2. Ἑλληνιστὶ καὶ Γαλλιστί. Σχῆμα 16ον, σελίδες 31. 1842· ἐκδεδομένον καὶ ἐν τῷ προηγουμένῳ βιβλίῳ . . . . 1.—

γ΄) Πρακτικὰ τῆς 12ης γενικῆς συνεδρίας τῆς Ἑλληνικῆς Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας: 1847 8. Ἑλληνιστὶ καὶ Γαλλιστί. Σχῆμα 8ον, σελιδες 31. 1848· δὲν πωλεῖται. . . . . —

δ΄) Πρακτικὰ τῆς 13ης γενικῆς συνεδρίας τῆς Ἑλληνικῆς Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας: 1848 9. Ἑλληνιστὶ καὶ Γαλλιστί. Σχῆμα 8ον, σελίδες 37. 1849 . 1.—

ε΄) Συνοπτικὴ ἔκθεσις τῶν πράξεων τῆς Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας: 1858 9. σελίδες α΄ καὶ 43 1859 . . . . 1. —

Δραχ.

Ϛ') Γενικαὶ συνελεύσεις τῶν ἑταίρων τῆς Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας· τεύχη ἕνδεκα: 1859 60. 1860 1, 1861 2. 1862 3, (ἐξεδόθη τῷ 1864). 1863 4. 1864 5 (δὲν πωλεῖται), 1865 6, 1866 7. 1867 8. 1868 9. 1869 70. Σχῆμα 4ον· τὸ τεῦχος ἕκαστον . . . . 1.

ζ') ΠΑΕ 1870 71 (δὲν πωλεῖται). 1871 2. 1872 3. 1874 5. 1876. 1877 κέ. 1905. Σχῆμα 8ον· ὁ τόμος ἕκαστος. . . . . 3.—
1906 κέ. . . . . 5.—

4. ***Πρακτικὰ τῆς ἐπὶ τοῦ Ἐρεχθείου ἐπιτροπείας,*** ἡ Ἀναγραφὴ τῆς ἀληθοῦς καταστάσεως τοῦ Ἐρεχθείου, γενομένη κατ' ἐντολὴν τοῦ Ἀρχαιολογικοῦ συλλόγου καὶ ἐκδοθεῖσα δαπάνῃ τῆς Ἀρχαιολογ. Ἑταιρείας. Σχῆμα 4ον, σελ. 21, πίν. 8. 1853. . . . . 1.—

5. ***Ἐπιγραφαὶ ἀνέκδοτοι,*** ἀνακαλυφθεῖσαι καὶ ἐκδοθεῖσαι ὑπὸ τοῦ Ἀρχαιολογικοῦ Συλλόγου· φυλλάδια τρία· 1ον: 1851 (σελίδες 12, πίνακες 15· δὲν πωλεῖται). 2ον: 1852 (σελίδες ια' καὶ 22 καὶ 5. πίνακες 8). 3ον: 1855 (σελίδες 60, πίνακες 4). Σχῆμα 4ον· τὸ φυλλάδιον ἑκάτερον. . . 1.—

6. ***Ἐπιγραφαὶ ἑλληνικαί,*** κατὰ τὸ πλεῖστον ἀνέκδοτοι, ἐκδιδόμεναι δαπάνῃ τῆς Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας· φυλλάδιον α' (ἄλλο δὲν ἐξεδόθη). Σχῆμα 4ον, σελίδες β' καὶ 34, πίνακες 9. 1860 . . . . 1.—

7. ***Ἱστορικὴ ἔκθεσις τῶν πράξεων τῆς ἐν Ἀθήναις Ἀρχαιολογ. Ἑταιρείας*** ἀπὸ τῆς ἱδρύσεως αὐτῆς (1837) μέχρι τοῦ 1879 τελευτῶντος. ὑπὸ *Εὐθυμίου Καστόρχη*. Σχῆμα 8ον, σελίδες Ϛ' καὶ 130. 1879 . . . . . . 3.—

8. ***Ἱστορία τῆς Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας*** ἀπὸ τῆς (ἐν ἔτει 1837) ἱδρύσεως αὐτῆς μέχρι τοῦ 1900· ὑπὸ *Π. Καββαδίου*. Σχῆμα 8ον, σελίδες 115. 1900. . . 3.—

9. ***Κατάλογος τοῦ ἐπιγραφικοῦ μουσείου·*** ὑπὸ *Η. G. Lolling·* τόμος 1ος: Ἐπιγραφαὶ τῆς ἀκροπόλεως, τεῦχος α': Ἀρχαϊκαὶ ἀναθηματικαὶ ἐπιγραφαί. Σχῆμα 4ον, σελίδες η' καὶ στῆλαι 152 καὶ η μετὰ πίνακ. 1899. 12.50

10. ***Τὸ ἐν Ἐπιδαύρῳ ἱερὸν τοῦ Ἀσκληπιοῦ καὶ ἡ θεραπεία τῶν ἀσθενῶν·*** ὑπὸ *Π. Καββαδίου*. Σχῆμα 8ον. σελίδες 304. εἰκόνες 9, πίνακες 10, ὧν εἷς τοπογραφικός. 1900 . . . . 15.—

10Α ***Τὰ τῆς ἐν Ἀντικυθήροις ναυαγίας εὑρήματα·*** ἐκ τῆς ΑΕ 1902. τεύχους 3 4, στήλ. 145-173 4. εἰκόνες 21, πίνακες 19, ὧν 8 παρένθετοι . . . . 5.—

11. Comptes rendus du congrès international d'archéologie, 1ère session: Athènes 1905. Σχῆμα 8ον, σελίδες 400, μετ' εἰκόνων. 1905 . . . . . 6.

12. ***Μνημεῖα τῆς Ἑλλάδος·*** τόμος 1ος: Γλυπτὰ τοῦ τῆς ἀκροπόλεως μουσείου (πραγματεῖαι *Καββαδίου, Καστριώτου, Κουρουνιώτου, Lechat, Λεονάρδου, Schrader, Schroeder, Στάη, Σωτηριάδου, Wolters*). Σχῆμα 4ον, σελίδες β' καὶ στῆλαι 118, πίνακες 33. 1906. . . . . 25.—

13. Die Ausgrabung der Akropolis vom Jahre 1885 bis zum Jahre 1890· von Prof. Dr *P. Cavvadias* und *G. Kawerau* — Ἀνασκαφὴ τῆς Ἀκροπόλεως ἀπὸ τοῦ 1885 μέχρι τοῦ 1890· ὑπὸ *Π. Καββαδίου* καὶ *Γ. Καβεράου*. Ἑλληνιστὶ καὶ Γερμανιστί. Σχῆμα φύλλου, στῆλαι 150 καὶ σελίδες 2, εἰκόνες 14, πίνακες 13. 1906 7 . . . . 50.—

14. ***Αἱ προϊστορικαὶ ἀκροπόλεις Διμινίου καὶ Σέσκλου·*** ὑπὸ *Χρήστου Τσούντα*. Σχῆμα 4ον, στῆλαι ιϚ' καὶ 432, εἰκόνες 312, πίνακες 47. 1908. . . . 50.—

Δραχ.

15. ***Περὶ τῶν ἐν Εὐβοίᾳ ἀρχαίων τάφων***, μετὰ παραρτήματος Εὐβοϊκῶν ἐπιγραφῶν· ὑπὸ *Γεωργίου Α. Παπαβασιλείου*, γυμνασιάρχου. Σχῆμα 4ον. στῆλαι β´ καὶ 108. εἰκόνες 53. πίνακες 21. 1910. . . . . 10.–
16. ***Κατάλογος τοῦ ἐν Λυκοσούρᾳ μουσείου***· ὑπὸ *Κ. Κουρουνιώτου*. Σχῆμα 8ον. σελίδες 72. εἰκόνες 74. 1911. . . . . 4.
17. ***Ἐπιγραφαὶ τῆς Μακεδονίας***· ὑπὸ *Γεωργίου Π. Οἰκονόμου* τεῦχος 1ον. Σχῆμα 4ον. σελίδες 40. εἰκόνες 29. 1915 . . . . 1.—
18. ***Ἀρχαιολογικὰ μελετήματα***· ὑπὸ *Γεωργίου Κ. Γαρδίκα*. Σχῆμα 8ον. σελίδες 48. 1915. . . . . 1.
19. ***Δελφῶν Τοπογραφία***· ὑπὸ *Ἀντωνίου Κεραμοπούλλου* τεῦχος 1ον. Σχῆμα 8ον. σελίδες 113. εἰκόνες (παρένθετοι) 11. πίνακες 3. 1912 1917. . . . 3.—
20. ***Τὸ Σούνιον***· ὑπὸ *Β. Στάη*. Σχῆμα 8ον. σελίδες 55. εἰκ. 14. πίν. 5. 1920 . 8.
21. De profusionum receptaculis sepulcralibus· scripsit *Georgius P. Oeconomus*. Σχῆμα 8ον. σελίδες 63. εἰκόνες 17. 1921 . . . . 8.

EIVSDEM SVNT AVCTORIS:

1. **Ἐπιγραφαὶ ἐκ τῆς ἐν Ἀθήναις ἀγορᾶς I-XVIII.**
   (Ἀρχαιολ. Ἐφημερὶς 1910. 1911).
2. **Ἀνασκαφαὶ ἐν Μεσσήνῃ 1909.**
   (Πρακτικὰ Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας 1909).
3. **Eine neue Bergwerksurkunde aus Athen.**
   (Athen. Mitteilungen 1910).
4. **Θισόα.**
   (Πρακτικὰ Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας 1911).
5. **Aus dem Dipylon.**
   (Athen. Mitteilungen 1912).
6. **Σπυρίδων Βάσης.**
   (Ἀρχαιολ. Ἐφημερὶς 1912).
7. **Ἐκ τῆς Βυζαντινῆς Θεσσαλονίκης.**
   (Ἀρχαιολ. Ἐφημερὶς 1913).
8. **Πέλλα.** Πρώτη ἔκθεσις ἀνασκαφῶν.
   (Πρακτικὰ Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας 1914).
9. **Ἐπιγραφαὶ τῆς Μακεδονίας, τεῦχ. Α', 1915.**
   (Βιβλιοθήκη Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας τόμ. 17).
10. **Πέλλα.** Δευτέρα ἔκθεσις ἀνασκαφῶν.
   (Πρακτικὰ Ἀρχαιολ. Ἑταιρείας 1915).
11. **Νομίσματα τοῦ βασιλέως Κασσάνδρου.**
   (Ἀρχαιολογ. Δελτίον 1918).
12. **Ὁ Ἰουστινιανὸς ἐν Θεσσαλονίκῃ.**
   (Ἀρχαιολ. Ἐφημερὶς 1918).
13. **Ψηφιδωτὸν ἐν Σπάρτῃ.**
   (Ἀρχαιολογ. Δελτίον 1918).
14. **De profusionum receptaculis sepulcralibus.**
   (Bibl. Societ. Arch. Athen. vol. XXI) MCMXXI.

Hoc volumen emitur drachmis 8.